

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

**E L E M E N T A
AD FONTIUM EDITIONES
LVII**

**DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA**

XXVII PARS

Ostpr. Fol., vol. 42, 43, 44, 51, 52, 1541-1542

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA



NON EXSTINGUETUR

R O M A E 1 9 8 3

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE VIA VIRGINIO ORSINI 19 - ROMA

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA

(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

- XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani*. Vaticani, 1943.
- XII — MEYSZTOWICZ V., *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur*. Vaticani, 1944.
- XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt*. Romae, 1947.
- XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani*. (Ed. chirotypica, exhausta).

ANTEMURALE, I-XXVII, Romae, 1954-1983

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

- I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae*. Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565), 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).
- II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424), 19 facs. 1960. (Archivum Capituli Trident.).
- III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, I pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787), 29 tab. 1961.
- IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603), 9 tab., glossarium verb. ang. ant., 1961.
- V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana*. Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483 doc. (A.D. 1568-1682), 4 tab., 1962.
- VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc., (A.D. 1603-1629), 8 tab., glossarium verb. ang. ant., 1962.
- VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, II pars., Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676), 11 tab., 1962.
- VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791), 7 tab., 1963.
- IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, I pars. Coll. L. KOCZY, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572), 8 tab., 1964.
- X — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Achivo Orsini in Archivo Capitolino*, III pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+343, 1399 doc. (A.D. 1568-1676), 12 tab., 1964.
- XI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+287, 214, doc. (A.D. 1567-1579), 7 tab., 1964.
- XII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. V+291, 163 doc. (A.D. 1571-1576), 5 tab., 1964.
- XIII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, I pars., Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+175 (A.D. 1598), 2 tab., 1965.

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE


**E L E M E N T A
AD FONTIUM EDITIONES
LVII**

**DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA
XXVII PARS**

Ostpr. Fol., vol. 42, 43, 44, 51, 52, 1541-1542

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA



NON EXTINGUETUR

R O M A E 1 9 8 3

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA VIRGINIO ORSINI, 19 - ROMA

INDEX RERUM

| | | |
|---------------------------------------|------|-----|
| Introductio | Pag. | VII |
| Abbreviationes | » | IX |
| Textus | » | 3 |
| Elenchus epistolarum | » | 227 |
| Index personarum et locorum | » | 235 |

INTRODUCTIO

Hoc LVII volumine seriei nostrae Elementa ad Fontium Editiones appellatae, vicesimo autem sexto ex iis, quibus typis exscripta continentur documenta in Tabulario Regiomontano asservata, publici iuris fiunt 312 epistolae, annis 1541 et 1542 ab Alberto in Prussia duce in Regnum Poloniae et Magnum Ducatum Lithuaniae missae (volumine LVI, annos 1539 et 1540 complectente, 321 scripta edita erant).

Ad res vero quod attinet, tum publicas tum privatas, quae in litteris ducis Alberti, hoc volumine comprehensis, plerumque occurrunt et tractantur, eas eiusdem fere generis esse dicendum est ac illae, de quibus in epistolis, LVI volumine publicatis, agebatur. Sunt enim nunc editae epistolae illarum directa chronologica continuatio.

Sigismundo I regi Poloniae, quem dux in Prussia — praeter regem suum et dominum — avunculum quoque charissimum semper alloquitur et appellat, maximus illis duobus annis scriptarum litterarum numerus (56) est destinatus. In quibus omnes fere agitantur quaestiones et negotia, quae earum auctori maxime cordi fuisse constat. Primo itaque loco ponitur quaestio abrogandi imperialis banni, ab Iudicio Imperialis Camerae contra se et subditos suos lati: illius enim onus umeris suis in primis grave et molestum fuisse ex multis epistolis ad regem datis manifesto patet. Enixe igitur supplicat regi eumque obsecrat, ut modis omnibus id a caesare impetrare et efficere studeat, quo illa tandem odiosa proscriptio cassetur et abrogetur. Cuius tamen abrogationem, per tot vitae suae annos ad mortem usque tam ardentem desideratam atque exoptatam, nunquam est consecutus. Non parum loci in ducis Alberti ad regem scriptis litteris occupat Turcici periculi metus necnon cum eo coniuncta quaestio subsidiorum, quae ad bellum contra Turcas gerendum a principibus christianis postulanda et obtinenda erant. Nec silentio praetereuntur negotia, quae duci Alberto, prout principi feudatario, cum rege, prout feudi domino, invicem intercedebant: res monetariae; appellationes ad regem a sententiis in causis iudicialiis latis, quas dux iuribus et privilegiis suis contrarias esse affirmat; controversiae, quae ob non bene definitos limites in confiniis inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae continuo oboriebantur; quaestiones de regundis finibus et teloneis utrimque exigendis etc. Permultae sunt denique epistolae, quibus dux, more suo solito, subditos suos vel etiam alios regi vel Regni proceribus commendat aut contra iniurias defendit ac protegit.

Secundum post regem locum, quoad scriptarum sibi a duce Alberto epistolarum numerum (42), merito obtinet Samuel Maciejowski, Regni Poloniae vicecancellarius, qui revera labente tempore negotiorum ducis coram rege interpretis ac tutoris munus, in controversiis vero et dissidiis mediatoris partes aperte in se suscepit. Quam ob rem in epistolis ad eum datis magna ex parte eadem occurrunt quaestiones, quae in litteris regi destinatis etiam tractabantur.

In litteris, quae ad Iostum Ludovicum Decium, monetae regiae

praefectum et rei monetariae peritum, germanice scribebantur, res monetariae, ut par erat, primo loco tractari solebant. Ex litteris ad Nicolaum Nibschitz datis, qui inter « agentes » vel « factores » ducis in aula regia degentes haud dubie diligentissimus fuit, nonnisi tres epistolae, certo ultimae, in hoc volumine eduntur. Nibschitz enim mense Martio a. 1541 diem supremum obiit.

Ad alios quod attinet, ad quos dux Albertus scribere solebat, praeter iam nobis notos Poloniae proceres: Lucam et Andream a Górka, Stanislaum Odrowąz, Ioannem Tarnowski et alios, nominandi sunt quoque nonnulli exterarum regionum monarchae et proceres, quibus dux per singulos annos falcones dono mittere solebat: quarum avium numerus ex statu et dignitate eius, cui mittebantur, semper pependit.

Restat, ut collegae nostro Luciano Olech pro opera in hoc quoque edendo volumine diligenter navata maximas agamus gratias.

C.L.

ABBREVIATIONES

| | |
|--------|-------------------------------|
| El. | Elementa ad Fontium Editiones |
| M.D.L. | Magnus Ducatus Lithuaniae |
| R.P. | Regnum Poloniae |

TEXTUS

1541

N. 1869.

E Regio Monte, 6.I.1541.

*Albertus dux in Prussia
Bonae reginae Poloniae*

explicat rationes, cur pontes in partibus regni extruxerit et cur nuntius reginae a capitaneo Insterburgensi detentus sit; controversiam de villa Coadiuten ad finium determinationem remittit; exponit causas, ob quas obstaculum in flumine Russa positum sit.

Cfr. El. XXX, N. 220.

(Adsunt 3 conc., 1 Germanicum et 2 Latina, cum differentiis formalibus, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 399-408.

Anno a nato Christo 1541.

De pontibus. De adorto eius nuncio. De nuncio in Ragnith. De Coadiuten. De obstaculo in fluvio Rossa.

Serenissima Regina.

Quae Sacra Maiestas Vestra Reginalis Magnifico ac Generoso Domino Achacio Zcemen etc. mihi nunciare demandavit ac postea literis Nobili ac Generoso, sincere mihi dilecto Iohanni a Kreytzen, Iuris Utriusque Doctori, meo Cancellario (quem propter quaedam negocia ad Sacram Maiestatem Regiam itidemque Sacram Maiestatem Vestram Reginalem, Dominos meos clementissimos, ablegaveram), datis significavit, quae etiam Sacra Maiestas Vestra Reginalis praesens ac deinde, absente ea, per suos servitores eidem mihi referre iniunxit et praedicto Achatio Zehmen, excepto unico puncto, antea concredita erant, ea omnia, ipsis fideliter ac discriminatim referentibus, debita reverentia accepi atque intellexi. Porro in primis Sacrae Maiestati Vestrae Reginali propter tam clementem ac regiam annuntiatam salutem, promissiones ac promotiones omni debitaque obedientia gratias ago maximas, eidem foelicissimum novum annum christianissimumque Unigeniti Salvatoris notitiae incrementum ex animo praecans, in qua Deus Optimus Maximus Sacram Maiestatem Vestram Reginalem prosperam, incolumem omnique foelicissima fortuna quam diutissime conservare dignetur. Neque minus gaudeo, quod Sacra Maiestas Vestra Reginalis ex innata clementia ac bonitate ea omnia, quae eidem in me displicent, libere ex animo et sine omni circuicione proferat mihique indicari^{a)} faciat, meamque etiam ad ea responsionem postulet. Exinde enim singularem

eiusdem erga me regiam benevolentiam agnosco. Econtra vero aequè animum meum ex cruciavit, quod Sacrae Maiestati Vestrae Reginali coram nominato Ioanne a Kreytzen, meo Cancellario, medio Ioannis Uchanski²⁾, quasi meis verbis vel promissis parum stetissem, sim visus. Cuius me tamen hactenus vicii Sacra Maiestas Regia (cui sanguine foedereque sum iunctus), omnesque denique homines, in omnibus meis negociis ac causis nunquam accusarunt. Neque ego recordari possum, me ulla unquam in re aliud lingua habuisse promptum aliudque mente reconditum. In primis vero erga Sacram Maiestatem Vestram Reginalem eiusdemque regiam domum animus meus talis semper fuit atque exitit, sicut adhuc, qualem os ex debito servitio pronuntiavit. Neque spero, coram Sacra Maiestate Vestra Reginali aliud a quolibet etiam vere de me dici ac probari posse. Sin vero propter praestitum iuramentum (quo Sacrae Maiestati Regiae inclitaeque Poloniae Coronae ex feudo sum addictus) limites, proprietates, libertates, possessiones reliquaque mihi concessa privilegia ac iura, quae mecum ad Coronam tuli, quantum decet, conservare studeam, non spero a Sacra Maiestate Vestra Reginali, tanquam Regina clementissima, hoc mihi vicio verti, sed potius boni consuli, quandoquidem in eo aliud nihil faciam, quam ut meo iuramento debitoque servitio apud Sacram Maiestatem Regiam eiusdemque Coronam satis faciam. Idcirco spero, Sacram Maiestatem Vestram Reginalem me potius propter haec, aequitate sic suadente, omni regio amore ac benevolentia prosequi. Si quid vero Sacra Maiestas Vestra Reginalis aliud, quod necessitate non adductus fecissem, compertum habuerit mihi quae id denunciatum fuerit, ea tunc auxilio divino pro defensione ac liberatione proferam, quae Sacra Maiestas Vestra Reginalis sine dubio ut iusta clementer probabit.

Principio, quantum ad pontes pertinet, Sacram Maiestatem Vestram Reginalem pro declaratione haec scire facio. Posteaquam limites inter Magnum Ducatum Lithuaniae ac Ducatum Prussiae determinari, mihi quae sic cum Serenissimo clementissimoque Domino et avunculo meo negocium esse sciverim, ad haec de limitibus varia, quae per omnia etiam credere nolui, indicata fuerint, nisi quosdam bonae fidei homines ad explorandum veritatem visitare^{b)} limites, quo nihil nisi bene cognitum fierique ex aequo deberet, indicarem, neque quisquam me iniquitatis accusare posset, ita tamen, ut omnia absque utriusque partis fierent incommodo. Praeterea meis etiam demandavi, ut non tantum meae, sed etiam Sacrae Maiestatis Regiae iustitiae rationem haberent, quo et ipsi nihil detraheretur. Ultimo et in summa, ne in cuiuslibet partis praeiudicium aut damnum quicquam moverent aut mutarent. Sin vero pontibus ad eorum transitum omnino opus esse iudicarent, deberent eos in meis partibus (sine utriusque tamen, uti dictum est, damno) extruere. Quod meum mandatum eos sic et non aliter, uti etiam retulerunt, executos spero. Sin autem nominati mei servitores forte fortuna Sacrae Maiestatis Vestrae Reginalis terras, sine ullo tamen illato damno, equis ingressi fuissent, confido id Sacrae Maiestati Vestrae Reginali non displicere, cum nullo animo nocendi factum aut fieri demandatum sit. Sit sane (uti Sacra Maiestas Vestra Reginalis indicat), quod mei servitores in regis partibus pontes extruxerint, illis hoc certe non iniunxi, posset tamen et hoc absque incommodo esse et idcirco non reprehendendum, quandoquidem Domini commissarii non secundum pontes, sed secundum obsignatos iuramentoque confirmatos contractus probabilesque ac sufficientes causas ac demonstrationes (sicut^{c)} Sacra Maiestas Regia, Sacrae Maiestatis Vestrae Reginalis Dominus et

consors charissimus, clementer sic fieri promisit) limites determinare finireque debeant.

Quapropter humiliter oro, Sacra Maiestas Vestra Reginalis causam mei propositi animumque^{d)} mei mandati clementer considerare dignetur et mihi, quod pontes in commune commodum ad decidendum istam tandem causam dubiam ac contenciosam, absque ullo tamen incommodo, exstruxerim, potius bene clementerque quam alias interpretari velit. Posteaquam vero causa limitum decisa fuerit, apparebit ex ipsa actione, cuius in parte pontes exstructi sint et quis iuste vel iniuste fecerit, firmiter sperans, Sacram Maiestatem Vestram Reginalem, cum absque ullo detrimento et damno fieri possit, in hoc interim clementer contentam esse.

Tercio^{e)} Sacra Maiestas Vestra Reginalis ad animum revocat, quod Capitaneus meus Insterburgensis eiusdem camerarium, quem literis suis ad me miserat, suosque consocios adortus sit, literasque ipsi eripere voluerit etc. Quapropter Sacra Maiestas Vestra Reginalis aut causam, propter quam hoc mihi licere vel fas esse crederem, scire postulat, aut ut in posterum tale quippiam caverem, cupit. Serenissima Regina, iste nuncius, me sane nesciente, adortus est. Cur autem hoc ipsi acciderit, quibus etiam de causis ego eos, qui istas vias ingrediuntur, observare demandaverim, paucis expediam. Mei antecessores nullum, quiscumque etiam fuerit, directe per mea deserta proficisci passi sunt vel concesserunt, sed secundum contractus et perpetua foedera diligenter caverunt, ne quis, relictis veteribus, novis viis uteretur. Si quis etiam aliter facere deprehensus fuit, is statim sine omni medio capitis supplicio adfectus est. Qua conditione quilibet tunc bene contentus fuit. Causam vero istius interditi ego Sacrae Maiestati Vestrae Reginali vel antea adscripsi, ne videlicet tanta scelera, spoliando, necando praedandoque homines perpetrarentur, neve ex utriusque partis redditibus, nempe mel, cineres, ligna reliquique proventus per fines auferrentur. Quandoquidem vero iste Sacrae Maiestatis Vestrae Reginalis nuntius non tantum solus et cum suis, sed etiam quibusdam profugis et suspectis personis istas vias ingressus sit, quamvis de illo nihil tale suspicetur, poterit tamen Sacra Maiestas Vestra Reginalis coniecere eum male fecisse, quandoquidem contra contractus novas vias quaesierit iisque sit usus. In contumeliam vero Sacrae Maiestatis Vestrae Reginalis minime est factum. Non enim detentus fuit, praeterea, prout nunc sunt tempora, cuilibet statim credendum non est. Sed quam primum Capitaneus Insterburgensis Sacrae Maiestatis Vestrae Reginalis literas vidit, eum dimisit atque versus Regium Montem concomitari curavit. Postquam vero huc venit, omni debito modo me ipsi exhibui, admonens eum, ut posthac istiusmodi invias [vias] fugeret, atque in meis eo tempore literis oravi, ut Sacra Maiestas Vestra Reginalis pro conservatione contractuum suos nuncios consuetas vias ingredi curare dignaretur, tunc istis rationibus opus non esse. Quapropter nunc iterum humiliter oro, Sacra Maiestas Vestra Reginalis praecavere velit, ne quid posthac tale quippiam fiat, neque propter istud Capitanei mei factum vel mihi vel etiam ipsi indignari, quandoquidem nuncius in hoc causa est maxima.

De nuntio^{f)}, quem in^{g)} Rangnith adortum Sacrae Maiestati Vestrae Reginali nunciarunt, Capitaneus meus nihil compertum habet, quapropter etiam de eo certi nihil scribere possum.

De Coadiuten^{h)} vero, sive Cotzitze, ego cum Sacra Maiestate Vestra Reginali, utpote Domina mea clementissima, quae alioqui gravibus regiisque negotiis abunde est occupata, hoc iam tempore de iure et legitima possessione disputando non contendam, nihil tamen de iusticia mei feudi

pro meis debitis ista taciturnitate concedens. Postquam vero limites, auxilio divino, aliquando determinati fuerint, ultro apparebit, uter in hoc plus concessit. Ubi tunc se Maiestas Vestra Reginalis se clementem erga me exhibuisse¹⁾ cernetur, et in posterum etiam (uti minime dubito) gratiosam exhibuerit, habeo, quod maiori diligentia erga Sacram Maiestatem Vestram Reginalem demerear, sicuti debeo libenterque facio.

Posteaquam²⁾ etiam ultimo Sacra Maiestas Vestra Reginalis per saepe iam praenominatum³⁾ Iohannem a Kreytzen, meum Cancellarium, mihi indicarit⁴⁾ se gravari propter obstaculum, quod in fluvium Rossa dimissum dicitur, ea enim cum et nautis et piscibus liberum cursum impediat, id mutari a me postulat, Sacram Maiestatem Vestram Reginalem celare non possum, quod fluvius Mummel ante lacum dictum Hab, infra arcem Rangnith, in quatuor vel quinque, ni fallor, fluvius dividatur. Inter quos unus Rossa dicitur, eius situs talis est, quod eo nulla negotiatoria navis veniat vel etiam venire soleat. In eo ipso fluvio mei antecessores ante multos annos, fortasse etiam ante initos⁵⁾ contractus inter Magnum Ducatum Lithuaniae ac Ducatum Prussiae, aggerem habuerunt, sicut id hactenus nullus Regum vel etiam Magnorum Ducum Lithuaniae impedivit, neque quisquam ulla nocumenta istis inde terris evenire, unquam conquestus est, multoque minus postulavit istiusmodi proventus, dominia, libertates, possessiones atque iusticiam in praeiudicium istarum terrarum superioritatis turbari vel dirui. Quae omnia Sacrae Maiestatis Vestrae Reginalis consors charissimus, Dominus meus clementissimus, mihi salva fore pollicitus est servare tenetur, sicut etiam Sacram ipsius Regiam Maiestatem procul dubio facturam confido. Cum igitur isti proventus semper sine ullius impedimento extiterint, merito gravarer, quod Sacra Maiestas Vestra Reginalis, tanquam Regina clementissima, quae omnem semper mihi clementiam pollicetur, a qua etiam aliis me turbantibus⁶⁾ omne auxilium spero, in tali quieta possessione et optimo iure me turbare atque molestare statuatur. Sacra Maiestas Vestra Reginalis apud se colligere poterit, quod pro meo iuramento atque debitis, quibus Coronae reliquisque mecum infeudatis istius Ducatus Prussiae Principibus sum addictus, de hoc meo iure, possessione atque conservata iusticia nihil quicquam concedere mihi liceat. Quapropter humiliter oro, Sacra Maiestas Vestra Reginalis in istis omnibus me non turbare, sed potius in ea conservare velit. Cursus enim piscium et praesertim salmonum eo non impeditur, cum, uti dictum est, alii quatuor vel quinque fluvii ex fluvio Mumelensi in lacum⁷⁾ dictum Hab defluant, nautae etiam eo in loco navigare non soleant.

Posteaquam iam Sacra Maiestas Vestra Reginalis sua gravamina erga meam personam mihi detexerit, egoque ad ea meam responsionem, bonis rationibus et causis fundatam, reddiderim, firmiter nunc sperabo, Sacram Maiestatem Vestram Reginalem, tanquam Reginam sapientissimam, quae iusticiae aequitatisque rationem habet maximam, non optare hoc a me mutari, quod mei antecessores ante multos iam annos, uti supra dictum est, obtinuerunt, sed potius me atque hoc regium feudum in ista quieta bonoque titulo consecuta possessione, secundum multas egregias, plane regias illas pollicitationes, tueri atque defendere. Cui me econtra in omnibus, quae modo contra meum iuramentum officiumque non sunt, omni debita obedientia talem exhibebo, qualem subditum atque obedientem decet Principem, humiliter orans, Sacra Maiestas Vestra Reginalis non semper cuiuslibet eiusdem subditorum verbis aut dictis fidem adhibere meque propterea iniustum statim iudicare velit, sed me prius audiat,

quo sic habita excusatione patefactaque veritate nemo non merito accusari possit. Haec erga Sacram Maiestatem Vestram Reginalem (quam nunc Deo Optimo Maximo commendo foelicissimeque vivere exopto) tanquam obediens Princeps, summo semper studio demereri studebo. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria.
Christophorus Sangner.

In margine in initio scripti: Ad Reginam Poloniae, VI Ianuarii.

- | | |
|--|---|
| a) <i>correctum ex</i> : indicare | i) <i>sequitur expunctum</i> : con |
| b) <i>verbum correctum</i> . | k) <i>in margine</i> : De obstaculo in fluvio Rossa |
| c) <i>in ms.</i> sicuc | l) <i>correctum ex</i> : nominatum |
| d) <i>sequitur expunctum</i> : mei | m) <i>verbum correctum</i> . |
| e) <i>in margine</i> : De adorto eius nuncio | n) <i>correctum ex</i> : innitos |
| f) <i>in margine</i> : De nuncio in Rangnith | o) <i>verbum correctum</i> . |
| g) <i>supra lineam</i> . | z) <i>sic in ms.</i> |
| h) <i>in margine</i> : De Coadiuten | |

N. 1870.

E Regio Monte, 6.I.1541.

Dorothea dux in Prussia

Isabellae reginae Hungariae

de filio ei nato gaudet et gratulatur; de morte mariti, regis Ioannis, dolet.

(Adest conc. Latinum cum dato 8.I.1541, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 408-409.

Laetatur propter natum filiolum¹⁾ et tristatur propter mortem consortis.

Serenissima Regina, etc.

Omnia charitatis officia Reginali Vestrae Celsitudini ex sincero animi affectu obferimus, cui summam tum corporis, tum animae, foelicitatem praecamur.

Quamvis primum communi fama, deinde certis ex literis non sine magna animi laetitia perceperimus, Reginalem Celsitudinem Vestram muliebri sua sarcina liberatam Deumque Optimum Maximum illi filiolum atque haeredem graciose concessisse, pro quo illi summas ac immortales agimus gratias, divinam illius Maiestatem humillimis praecibus obsecrantes, ut eundem Reginalis Celsitudinis Vestrae filium primogenitum diuturna valetudine frui atque in timore ad cognitionem verbi sui divini recte educari clementer permittat, tamen miserabilis ille et toti Christianae Reipublicae perniciosus casus et obitus Serenissimi olim Principis ac Domini, Domini Ioannis Ungariae etc. Regis, Reginalis Celsitudinis Vestrae charissimi coniugis, Domini et adfinis nostri dilectissimi piaae memoriae, tantum vicissim dolorem nobis attulit, ut plane arbitremur nihil gravius aut acerbius nobis hoc tempore accidere potuisse. Nec dubitamus, quin hic obitus non potuerit non vehementer Reginalis Celsitudinis Vestrae

animum perturbare, praesertim cum procul dubio in hac mortali et caduca vita nihil carius suavissimo Domino coniuge suo habuerit. Verum cum eadem non sit nescia nos ideo procreatos esse, ut emori nos tandem oporteat nihilque cercius sit morte, sperabimus Reginalem Celsitudinem Vestram hanc Dei Optimi Maximi voluntatem, cui nemo resistere potest, hoc aequiori animo laturam^{a)}, rogamusque Reginalem Celsitudinem Vestram, ut istud firmiter sibi de nobis persuadeat, nos, si qua in re Reginali Celsitudini Vestrae inservire aut prodesse poterimus, id facturos summo semper studio atque diligentia singulari, nihilque aliud magis ex animo cupimus, quam ut Reginalis Vestra Celsitudo charissimum Dominum coniugem nostrum ac nos pristino suo favore prosequi nosque commendatos sibi habere non dedignetur. Quam nunc diu foeliciter vivere atque valere optamus. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria.
Hieronymus Schirstab.

In margine in initio scripti: Ad Ysabellam Reginam Hungariae nomine Principis Dorotheae, VI Ianuarii.

a) *verbum correctum.*

1) *Ioannes Sigismundus.*

N. 1871.

E Regio Monte, 6.I.1541.

Albertus dux in Prussia

Stanislaw Odrowqż, palatino Podoliae,

pro litteris manu propria scriptis, equis dono missis et significatis novitatibus gratias agit; de reliquis coram confabulari desiderat; adolescentem [Martinum Sobański] sibi commendatum se libenter in servitorem suum accepisse significat.

Cfr. El. XXXVI, NN. 654, 655.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 409-412.

Literae officiosae. Gratias agit, quod sibi propria manu scripserit, et pro duobus equis donatis. Cupit praesens colloquium. Adolescentem sibi commendatum in servitorem accepit. Literas ad se datas igni tradidit^{a)}. Petit, ut frequenter ad se scribat.

...Magnifice ac Generose Adfinis, Amice ac Frater Charissime.

Primum omnium Magnificentiae Vestrae summas ac immortales ago gratias, quod inter alia sua ardua negocia propria etiam manu tam elegantem epistolam, spirantem videlicet veterem illam ac plane fraternam benevolentiam, contexere, deinde quod per servitorem meum me tam amplo munere, duobus scilicet equis, donare non dedignata est. Qua ex re agnosco summum Magnificentiae Vestrae erga me studium atque amorem, quo me meosque indies magis atque magis prosequitur. Quod vero Magnificentiae Vestrae ad humanissimas suas literas tam eleganter

respondere nequeam, rogo id haud iniquo animo ferre, sed potius propensum ac benevolum meum animum aequi bonique consulere velit. Est enim mihi animus Magnificentiae Vestrae in omnibus, quae fert tenuitas mea, complacere.

Scribit autem inter caetera Magnificentia Vestra se valde perturbatam fuisse meo silentio, cum antea aliquot chartas mihi miserit^{b)}, responsum vero tulerit nullum. Possum ego vere adfirmare istud, me nullas a Magnificentia Vestra, quantum ego compertum habeo, literas accepisse, ad quas non illi responderim, ac quandoquidem nunc intelligo meas literas Magnificentiae Vestrae gratas esse, firmiter istud mihi credere debet Magnificentia Vestra, me nunquam intermissurum, quin toties, quoties ad me literas dederit, illi responsurus sim.

Quae mihi nova de Regno Hungariae, initis atque confirmatis contractibus inter Romanorum Regiam [Maiestatem¹⁾ et Regem] Ioannem defunctum, atque iis, quae Serenissima Regina Isabella a parentibus suis contendit, communicare non dedignata est Magnificentia Vestra^{c)}, grato quidem animo accepi, agoque hoc quoque nomine Magnificentiae Vestrae ingentes gratias. Nam de iis omnibus parum certus antea fui. Quae cum ardua sint atque etiam periculosa, Deum Optimum Maximum adsiduis orabo praecibus, ut is pro immensa sua misericordia omnia negocia ad totius Christiani Orbis tranquillitatem et divini nominis sui gloriam convertere clementer velit. Nec dubito, quin tempus nunc id, quod in fatis antea fuit, declaratum sit. Peto autem, ut me saepius literis suis suavissimis, quibus nihil mihi graciosius accidere potest, invisere meque de iis omnibus rebus ac novitatibus, quae per amicos suos ad Magnificentiam Vestram perscribuntur, certiorum reddere haud gravatim velit, itidem me quoque, si quid interdum ad me perlatum fuerit, diligenter facturum promitto.

Quod autem reliqua attinet, quae Magnificentia Vestra mihi per praedictum servitorem meum Magnificentiae Vestrae nomine indicari iussit, nihil magis ex animo cuperem atque optarem, quam ut Deus clementissimus aliquando eam oportunitatem temporis graciosae concederet, ut coram^{d)} cum hiis, tum aliis de rebus communibus, amice confabulari liceret, quo cognosceret Magnificentia Vestra animum meum sincerum ac candidum, illique mentem meam integram libere aperire possem.

Adolescentem²⁾, quem tanto studio mihi Magnificentia Vestra commendavit, libenter in servitorem recepi, eamque chartam, quam propria manu ad me scripsit, igni, prout peccit, commisi^{e)}. Ac peto, ut firmiter sibi istud Magnificentia Vestra de me persuadeat, mihi illius literas semper fore gratissimas. Cupio his Magnificentiam Vestram foeliciter valere, quae meo ac charissimae coniugis meae nomine suavissimam coniugem suam diligenter salutare velit. Datae e Regio Monte, ut supra.

In margine in initio scripti: Ad Dominum Stanislaum Odrovash manu propria scribendae, VI Ianuarii.

a) in ms. tradidi

b) correctum ex: miserat

c) sequitur expunctum: ea

d) in ms. curam

e) correctum ex: commisit

1) Ferdinandus I.

2) Martinus Sobański.

N. 1872.

E Regio Monte, 6.I.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, exercituum R.P. capitaneo, felicem Annum Novum exoptat; exempla litterarum ad regem datarum et responsi ad eas regii transmittit; rogat, ut negotia, de quibus in eisdem litteris sermo occurrit, apud regem promoveat.

(Latine)

Cfr. *EL. XXXVI*, N. 669.

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 412-414.

N. 1873.

E Regio Monte, 6.I.1541.

Albertus dux in Prussia

Thomae Sobocki, tribuno Lanciciensi, pro paratis servitiis et obsequiis sibi oblatis gratias agit; rogat, ut negotia sua apud regem et Samuelem Maciejowski promoveat, praesertim ut litteras suas regi ad manus tradat et clemens responsum regium ad eas impetret.

(Germanice)

Cfr. *EL. XXXVI*, N. 664.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 464-465.

N. 1874.

E Regio Monte, 7.I.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

rogat, ut rex electoribus et principibus Germaniae causam abrogandi imperialis banni vel per nuntios vel per litteras commendet; sperat futurum, ut testamentum suum a rege vel eius successoribus servetur et defendatur; institutam a rege regundorum finium diem, quamquam suo iudicio valde incommodam, acceptat; orat, ut pro tollenda proscriptione rex oratores suos ad Comitia Ratisbonensia mittat.

Cfr. *EL. XXX*, N. 222.

(*Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, cum differentiis formalibus, HBA, B, K. 1162*).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 414-420.

De proscriptione, testamenti responsione, instituta die regundorum finium, mittendis legatis propter^{a)} proscriptionem ad futura Comitia Ratisbonae.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

A Maiestate Vestra Regia Nobilis atque Generosus, fidelis mihi dilectus Ioannes a Creytzen, Iuris Utriusque Doctor, servitor et Cancellarius meus, paucos ante dies domum reversus, mihi ea mandata atque

regia responsa, quae Maiestas Vestra Regia illi ad subditam ac humilem petitionem meam gracie dare dignata est, exposuit meque de omnibus illis negociis, iuxta responsum illi in scriptis datum, cerciorem reddidit. Quod quidem responsum a Maiestate Vestra Regia ego, tanquam obediens Princeps phasallus, subdita ac ea, qua decuit, reverentia audivi et ꝑer-
cepi. Quam ob rem Maiestati Vestrae Regiae pro summa hac sua ac^{b)} vere regia clementia, necnon clementi annunciata salute et oblata promptitudine diligentique opera, quam se in causa proscriptionis adhibituram pollicetur, omnibusque aliis communicatis rebus maximas ac immortales ago gratias, Deum Optimum Maximum adsiduis summisque praecibus obsecrans, ut is pro immensa sua misericordia Maiestatem Vestram Regiam atque universam regiam familiam non solum hoc novo ingredienti anno (quem faustum atque foelicem Maiestati Vestrae Regiae esse ex intimo corde cupio), verum etiam alias prosperam atque incolumem in summa tum corporis, tum animi foelicitate, stabilique christiano regimine per longa tempora conservare clementer dignetur.

Optarem, ut Electores ac Principes vel per nuncios vel literas eam ob causam inviseret illorumque hac in re amicam promotionem peteret. Ego quoque, pro mea persona, in maiorem huius rei utilitatem ad non-nullos Principes ac Electores, Dominos, amicos, cognatos consanguineosque meos, misi et amice ab eis pecii, ut hac in re operam suam haud gravatim interponere et omnem lapidem^{c)} ita movere vellent, quo huiusmodi negotium optatum tandem finem posset consequi, quemadmodum eos ad petitionem meam summa diligentia facturos nequaquam dubito. Nam etiamsi ipse quoque ad Romanas Caesaream ac Regiam Maiestates¹⁾ ceterosque Regni Romani Principes ac Electores hoc nomine scribere atque ab eis idem quoque, quod a reliquis Dominis et amicis meis pecii, efflagitare vellem, tamen Maiestas Vestra Regia non est nescia, quam parvam habeant tam apud Romanas Caesaream ac Regiam Maiestates, quam etiam alios, petitiones meae auctoritatem atque existimationem, ita ut ex variis coniecturis plus periculi quam commodi exinde mihi expectandum foret. Proinde firmiter spero, Maiestatem Vestram sese hac in caussa haud difficilem exhibituram.

Responsum, quod Maiestas Vestra Regia mihi ad subditam ac iustam petitionem meam Testamenti causa dare gracie non est dedignata, non disputo. Ego tamen regiam mentem eo inclinatam iudicabo^{d)}, quod illa adhuc superstite, aut etiam post eius obitum (quem Deus Optimus Maximus diu clementer avertat), mihi nihil accidere vel prohiberi debeat, quod non tam divino, quam etiam humano iure et ipsa aequitate mihi libere sit concessum. Imo potius firmam spem habeo, Maiestatem Vestram Regiam, tanquam Dominum feudi, me in iis omnibus clementer defensuram, conservaturam atque nequaquam impedituram esse. Idcirco in nomine Dei Omnipotentis ego, uti^{e)} fidelis Princeps vasallus^{f)}, benignus ac clemens Dominus charissimae coniugis meae, dulcissimorum liberorum omniumque subditorum meorum, id nunc, quod iam dudum ordinare atque testari statui, incipiam omnesque causas eo dirigam, ut de iis omnibus cum primis Deo Omnipotenti, tum potissimum Maiestati Vestrae Regiae eiusdemque successoribus et Amplissimae Coronae Poloniae, omnibusque aliis iustam ac honestam rationem reddere queam, subdite obsecrans, si ita accideret, ut prius quam Maiestas Vestra Regia Testamentum meum confirmaret (quod adhuc, ut faciat, cum meo, tum charissimae coniugis dulcissimorumque pignorum ac

omnium subditorum meorum nomine enixe rogo), ex hac mortali et caduca vita (quod sane a voluntate pendet divina²⁾) emigrarem, ut Maiestas Vestra Regia postmodum haec omnia in memoriam revocare, nihilominus illud Testamentum post me relictum, quod iuxta ordinem et formam iuris rite fieri debet, clementer tanquam feudatarius tueri, manutenere ac defendere velit, nec permittere, ut aliquid iniqui adversus illud attentetur, prout Maiestatem Vestram Regiam facturam secundum regias pollicitationes non dubito.

Institutam atque indictam diem finium omnino improbare haud decet. Et quamvis illa ob incommoditatem temporis, praesertim mensis Augusti nimium calorem, densitatem sylvarum et graminum nimiamque magnitudinem vermium, tam equis quam hominibus nocentium, valde incommoda atque inoportuna sit futura, praesertim iis miseris subditis, qui domi labores³⁾ suos negligere coguntur.

Et cum Maiestas Vestra Regia clementer promiserit, se summa diligentia curaturam, quo gravis haec publica caesarea proscriptio, quocumque etiam modo aut oportunitate id fieri queat, tollatur et abrogetur, atque ex transmissa copia earum litterarum, quas Romana Caesarea Maiestas nuper ad Maiestatem Vestram Regiam proscriptionis causa scripsit, cernere liceat, Maiestatem Suam Caesaream id negotium in commune consilium omnium statuum atque ordinum Romani Imperii, in publicis⁴⁾ Comitiis, quae brevi Ratisbonae celebrari debent, congregatorum, reiecisse. Vestraque Regia Maiestas, sicuti colligere possum, neminem fortassis eo ablegatura aut hoc tempore in aula caesarea habitura est. Atque pro meo quidem tenui iudicio hac in re non minus Maiestati Vestrae Regiae ac mihi ipsi multum momenti sit positum, id quod saepius antea et per literas et nuncios indicavi, quapropter ea iam omnia repetere superfluum iudico. Nihilominus etiam ea benevolentia, amor et amicitia, quae Maiestati Vestrae Regiae cum Maiestate Caesarea intercessit tanta, ut si maximam in hac causa adhibitura esset Maiestas Vestra Regia diligentiam, non possit non facile haec proscriptionis abrogatio, sicut ex eiusdem literis intellexi, obtineri. Quam ob rem Maiestatem Vestram Regiam humillimis subditisque oro praecibus, eadem dignetur per legatos et oratores caeterosque necessarios suos in istis proxime futuris Comitibus apud Romanam Caesaream Maiestatem summa diligentia id curare⁵⁾ atque efficere, quo taediosa haec proscriptio penitus tollatur et ego una cum fidelibus subditis meis, qui Maiestati Vestrae Regiae eiusdemque Amplissimae Coronae omnes subiecti sunt, hac molestia liberari et in pristinam tranquillitatem ac quietem restitui queam. Ad promovendum vero illud negotium videretur mihi haud inconsultum, si Maiestas Vestra Regia Romanam Regiam Maiestatem nonnullosque alios Sacri Romani Imperii, tamen nisi Maiestas Vestra Regia propter enarratas iam causas sententiam mutaverit atque aliam vel ante vel post praefixum tempus diem instituerit, libenter hanc nunc praefinitam diem per meos invisam⁶⁾.

Haec omnia Maiestati Vestrae Regiae (cui me una cum charissima coniuge²⁾ omnibusque subditis meis unice commendo) ad ea commissa atque responsa, quae saepe dicto Cancellario meo imposuit, subdite respondere volui, Deum obsecrans, ut Maiestatem Vestram Regiam ad

communem tocius Christianae Reipublicae salutem atque incolumitatem, necnon divini nominis sui gloriam, diu servet salvam ac superstitem. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria idem audivit legere.

Hheronimus^o).

In margine in initio scripti: Ad Regem Poloniae, VII Ianuarii.

a) *sequitur expunctum:* Comitia
b) *in ms. at*
c) *verbum correctum.*
d) *sequitur expunctum:* quod
e) *sequitur expunctum:* ciemens
f) *correctum ex:* phasallus
g) *correctum ex:* divinam

h) *verbum correctum.*
i) *sequitur expunctum:* commune consilium omnium
j) *pro expuncto:* amare *suprascriptum.*
z) *sic in ms.*
1) *Carolus V et Ferdinandus I.*
2) *Dorothea.*

N. 1875.

E Regio Monte, 8.I.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

de re monetaria; de appellatione; de profugis Elbingensibus; de libera navigatione per portum Balga; de Masoviensium querimoniis; de annonae ex Masovia in Ducatum Prussiae mutua et libera transportatione.

(2 schedulae: 1. petitio procerum Ducatus Prussiae ad regem, ut responsum ad litteras eorum de proscriptione eis concedat; 2. de legatis regiis ad imperatorem et regem Romanorum mittendis).

Cfr. El. XXX, NN. 214, 216, 218, 222, 223.

(Adsunt 10 conc., 5 Latina, HBA, B, K. 1162, et 5 Germanica, quorum 4 in HBA, B, K. 1162 et 1 in HBA, B, K. 1161, cum differentiis formalibus).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 428-444.

Propter monetam, appellationem, profugos cives Elbingenses et portum Balga; quaerimonias nobilitatis Mazoviae edictumque in Mazoviam non vehere annonam.

Serenissime Rex.

Ex quo Regia Vestra Maiestas a me suos missos per legatos nuper postulavit, ut a moneta cudenda, exemplo Regiae Vestrae Maiestatis^a) aliarumque regalium civitatum Brutenicae partis incude vacancium, desisterem, et Sacrae Regiae Vestrae Maiestati ego super ea re cum omni submissione ac obedientia declarando et sufficientes pro parte causas me impediennes iusteque remorantes exponendo, in coronide supplicarem, ne^b) Regia Vestra Maiestas cum interdictionis mandato monetae meae excusae properare^c) velit, donec et ego cum fidelibus meis omnium ordinum Ducatus Borussiae subditis, celebratis Comiciis, consultarem

et deliberarem, quo facto et ego ex accepta eorum conclusiva sententia erga Regiam Vestram Maiestatem me cum omni subiectione, quantum citra privilegiorum iacturam fieri posset, aperire et aequabili ratione Suae me Maiestati accomodare velim etc. Et licet Regiae Vestrae Maiestati perlubens antea, promissionem huiusmodi implendo, subdite respondissem, necnon et fidorum subditorum meorum omnium provinciae ordinum deliberationem et petitionem humillimam dudum significassem, negotia tamen interim emergentia remorata sunt et hactenus contra vota etiam nostra^{d)} utramque partem avocarunt. Quare subdita et amica mea peticio est, Regia Vestra Maiestas nullam de tali responsionis protractione inclementiam suscipere velit, sed regia potius gratia et pietate modo audire meque una fidis meis cum subditis in nostro responso et humilibus petitionibus iuxta confidentiam nostram clementer exaudire.

Non dubito, quin Regia Vestra Maiestas recenti adhuc memoria teneat, nullam monetario in negotio difficultatem perpetua olim in confederatione intercessisse, quam ut ego ad tempus cessarem, donec Regia Vestra Maiestas una cum ordinibus Brutenicae Vestrae Maiestatis partis de monetae valore, statu, condicione, grano et scissura perpetuo deinceps servanda convenirent, quemadmodum et huiusmodi concordia, auctoritate mandatoque Regiae Vestrae Maiestatis et ambarum parcium consensu, Marieburgi anno 28 post sesquimillesimum, erecta et consummata fuerat. Super qua et haec illa iam usitata moneta apud utramque partem excudi cepit, perpetuis futuris temporibus valitura et duratura. Auctoritate praeterea, mandato et Regiae Maiestatis voluntate observata, necnon et communi totius Borussiae finali conclusione et concordia expensa, ego, ut obedientem Principem decebat, vetustam monetam incredibili damno cassabam et penitus abolebam.

Tenet et Regia Vestra Maiestas procul dubio clementi simili memoria, quo pacto quave condicione ego, una meis fidelibus harum Brutenicarum provinciarum cum subditis, Regiae Vestrae Maiestati laudabilique Poloniae Coronae cessimus et Regiae ditioni ampliandae appositi simus. Quam ampla denique spes perpetua per concordata et alia mihi meisque subditis promissa affulserit, sic ut principio praedicta per concordata, regiae clementiae decisione, ad acceptam antea feudalem submissionem ac per Regiae Vestrae Maiestatis pleno mandato legatos ad hoc destinatos^{e)} multivaria mihi promissio est facta, quae et regiis literis, iure, liberalitate et regia clementia fulcitis, est munita et consummata. Simul et ampliora a Regia Vestra Maiestate laudabilique Corona beneficia semper mihi indubitate promitterem obventura, admonitus fueram, persuasissimumque haberem, me ac meas illas provincias universas apud vetusta iure hereditario hactenus acquisita privilegia, immunitates, laudabilia hucusque retenta iura et consuetudines, citra omnem molestiam et conturbationem, permansuras ac illaesa²⁾ nobis perpetuo conservari, quae hactenus assecuti essemus gratis^{f)}.

Contigit nihilominus super haec omnia, quod quidam mei Ducatus subditi, qui^{g)} licet contra quosdam cives Gedanenses iudicalem, coram consueto ordinario nostrae curiae consistorio, sententiam pro se acceperint, isti tamen contra provinciae huius ac omnem meorum libertatem, iura, consuetudinem et vetustas observationes, a meis antecessoribus ante aliquot centum annos^{h)} sanguine etiam partas ac nuper una mecum ad laudabilem Poloniae Coronam devolutas, necnon et recentiora praedicta contra privilegia ad Regiam Vestram Maiestatem a consistorio

nostro appellarunt. E qua re meis subditis importabilia damna fluxere, una cum tocius causae damnosa protelatione, cuius nec adhuc hodie exitus ullus apparet. Accedit et his non minor molestia, quod dum nonnulli meorum subditorum interim eosⁱ⁾ cives praedictos, qui appellationem minus iuste interposuerant, Dantisci in ius vocarunt, et hoc aliis emergentibus de causis, nihilosequius tamen iusticia est ipsis denegata, appellationem tantummodo praetexentes. Sicque ob unam causam, eam scilicet, pro qua appellatio intercessit, omnes aliae, etiam minime huic appendentes, suspenduntur ac contra omne ius aequi et boni meis subditis iusticia denegatur, in perpetuam inopiam nonnullos ex meisⁱ⁾ una cum uxoribus et liberis redactos.

Regia praeterea Vestra Maiestas nonnullas ad me literas per Nobilem nobis specialiter dilectum Achacium Zceme destinaverat. Quarum primae ea indicarunt, quae Regiae Vestrae Maiestatis consiliiarii et legati regiae partis Borussiae e celebratis nuper in Graudnitz Comiciis significarunt, quod scilicet Regia Vestrae Maiestatis civitates, mandato regio parendo, a moneta cudenda desistere velint. Sed quia id a me non similiter praestaretur, magnum provinciae detrimentum sequeretur, ideoque et Regiae Vestrae Maiestati supplicarunt, ut, quocumque tandem modo fieri posset, et me quoque inducere conaretur, quo cudendae monetae opera tandem resignarem. Quapropter clementer me admonendo et a me summopere requirendo postulavit, ut ea, quae facere deliberassem, mox aperirem ac finaliter a moneta cudenda cessarem, quemadmodum et Regiae Vestrae Maiestatis scripta latius in se continuere. Super quo Regiae Vestrae Maiestati, omni submissione praemissa, obedienter et amice significare volui, praecipue quum Regia Vestra Maiestas praedictis Suae Maiestatis literis simul indicaverit se sollicitam esse, ne responsionem de negotio monetario ita protraherem, quo Regiae Vestrae Maiestatis Regnis et provinciis haud parva iactura immineri possit, ex eo potissimum suspicionem colligens, quod priori responso, Regiae Vestrae Maiestatis legatis dato, non expresserim, quo tempore Comitibus meis fidelibus cum subditis instituere velim. Quum ego tamen haud secus sciam, quin Regiae Vestrae Maiestati praedicto meo responso simul indicaverim, licet fortasse non tam expresse, ut ipsa velit, quod conventionem subditorum fidelium meorum omnium ordinum quam primum procurare instituerim, quemadmodum et iam iam factum est, in qua super haec caussa non ad me tantum, sed et ad totam provinciam et omnes subditos spectans, consultaretur, ac tandem Regiae Vestrae Maiestati tale responsum, quale et his literis intelliget, appendere non negligerem.

Ex quo autem Regiae Vestrae Maiestatis subditae Brutenicae partis civitates interim conqueruntur, omnes monetarios ad me divertere, quorum opere possibile esse me unum tantum excusum iri, quantum civitates universae ante cessationem cudissent, haud inficias eo, nonnullos eorum monetariorum ad me concessisse, a me quoque susceptos aliquos et e diverso aliis ablegatis, quemadmodum et operis ratio exigit et simili in negotio fieri consuetum est. Ne autem coram Regia Vestra Maiestate quemquam suam ob delationem de me factam culpae cogere, quod certe, quantum possibile fuerit, officiose cavere mallet, ferre possem optabileque mihi esset, si Regia Vestra Maiestas exactius inquirendum mandaret, an omnes monetarios, quos et quales, civitatibus

antea servientes, susceperim. Tunc certe experientia ipsa de me pronunciaret, an iuste Regia Vestra coram Maiestate, tanquam Domino meo, praedicta tali delatione sim gravatus necne, et an possibile sit communem patriae iacturam ex eo facto colligere. Quare spero Regiam Vestram Maiestatem ex his, quae non contra Suam Maiestatem, sed summam meam, meorum et subditorum ac provinciarum commoditatem, a me instituuntur, haud ad ullam inclementiam commoturam, Regiaeque Vestrae Maiestati syncere et cum veritate indicare possum, nullam monetae ^ksuperfluitatem hoc meo in Ducatu esse,^l nec ego hactenus tantum excusi, quantum provincia requirit. Nec hoc possibile est, si Regia Vestra Maiestas una cum civitatibus Borussiae, quae monetario privilegio sunt donatae, vacaverint, quod ego solus huiusmodi tam vastae negotiationis oneri sufficerem unquam.

Cum igitur praedicta duo^m privilegia et immunitates, monetariae scilicet officinae instituendae potestas et a meo foro non appellandi auctoritas, huius Ducatus Borussiae supremae fere et praecipuae libertatis gratiae et beneficia habentur, quae et una cum Ducatu ad laudabilem Poloniae Coronam defluerunt, non ut ea auferret, sed confirmaret potius, manuteneret et amplioribus dotibus decoraret, quod certe nuper in perpetuaeⁿ pacis et mutuae confoederationis confirmatione feudalisque possessionis foelici auspicio et verbis et literis irrevocabiliter fuerat compromissum, nos scilicet omnes apud universa et singula huius terrae privilegia, immunitates et laudabiles hactenus observatas consuetudines quietos permittere et manuteneri. Quare Regiam Vestram Maiestatem una meis cum subditis dilectis et fidelibus supplices petimus et humiliter supplicamus, Regia Vestra Maiestas me una subiecto cum populo ita commendatum habere velit, quo praedicta ac omnia alia nobis concessa semel privilegia et immunitates, iuxta regiae clementiae liberalem^o saepe nobis factam promissionem, de qua nunquam dubitavimus, nobis salva et infracta perpetuo persistent, ac regia auctoritate nos omnes apud illa tueri, manuteneri et cunctos contra adversarios defendere ut suos subditos dignetur, iubereque Regia Vestra Maiestas dignetur, quo praedicta invalida appellatio cassetur subleverturque ac meis subditis tam in caussa appellata, quam omnibus aliis, contra Ketingk vel alios cives Dantiscanos iusticia requisita administretur. Haec a Regia Vestra Maiestate impetranda amice, subdite et summis conatibus promerenda, ego una fidelibus ac dilectis meis cum subditis fluxis nec rebus, corporibus nec sanguini parcemus, sed cum his omnibus Regiae Vestrae Maiestatis votis parati stamus.

Ex alteris Sacrae Maiestatis Vestrae literis intellexi, eidem indicatum esse me quosdam Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae cives Elbingenses, tanquam meos, ex mea ditione profectos ex pacto repetivisse. Praeterea ad Sacram Maiestatem Vestram Regiam multorum querimoniis perferri, non sine gravi eiusdem Regni et civitatum Prussiae incommodo, quo minus libera sit per portum Balga navigatio, per me impediri. Quare postulat, ut nominatos cives in civitate Elbingensi quiete commorari permittam, et ut libere unicuique per portum istum navigandi potestatem faciam. Ad quae omnia Sacrae Maiestati Vestrae Regiae haec humiliter subditeque respondeo, me multum mirari variaque cogitare, quod Elbingenses apud Sacram Maiestatem Regiam propter meos homines, quos valore contractuum omni iure repetere possum,

conquesti sint. Non ego illis quicquam mei consilii detexi vel ad illorum petitionem denegavi, sed ex eorum relatione et declaratione causam hanc penitus cognoscere volui. Quapropter mihi de illis persuasissem, eos Sacram Maiestatem Vestram Regiam, iam in laudatissima senectute atque^{p)} adversa valetudine et multis aliis gravioribus negotiis cumulativim occupatam, istiusmodi adversis indicatis non molestare et gravare, Sacra Maiestas Vestra Regia sibi hoc de me polliceatur, quod in meis responsionibus ac declarationibus, propter hanc omnesque reliquas causas, me talem auxilio divino sim exhibiturus, qualem Sacra Maiestas Vestra Regia facile clementerque probabit. Elbingensibus etiam id demandet atque iniungat, ne quid contra contractus (quod et me diligenter curaturum recipio) faciant, Sacram etiam Maiestatem Vestram Regiam posthac istiusmodi odiosis causis praegravare atque me eidem amplius deferre desinant. Omnibus namque modis aequum est, ut qui una in parte contractuum commodum sentire velit, in altera onus quoque eorundem sentiat.

Quod vero navigationem per portum meum Balga attinet, in eo, ut in reliquis, me unicuique debito modo secundum contractus exhibere pollicitus sum. Nam quo maior navigatio est, eo maiores mihi accedunt fructus propter maris vectigal. Quandoquidem vero olim ac anteaquam ego in has terras Prussiae veni, interdum tempore necessitatis ac caritatis navigatio frumenti concessa non sit, prohibui et ego, praesenti hac in meo Ducatu caritate, istam navigationem tam meis subditis, quam etiam reliquis, per meum portum meo damno et diminutione vectigalis, in nullius privilegiorum aut libertatum praeiudicium, sed potius ac solummodo propter commune Reipublicae commodum. Cum vero Elbingenses et reliqui se isto interdicto gravari questi sint liberamque navigationem pecierint, illorum petitioni, in singularem Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae honorem illisque ad gratiam, acquievi, haud respiciens, quod quam plurimum frumenti hinc ex meo^{q)} Ducatu vehatur. Quapropter mei apud Sacram Maiestatem Vestram Regiam in istis, uti in aliis, merito rationem habere parcereque debuissent. Neque ego in his et aliis etiam, uti supra recensui, contra contractus quicquam facere vel cogito vel molior. Extante autem in meo Ducatu propter coemptionem frumentorum caritate, ego navigationem si meis prohibere, aliis vero liberam concedere deberem, Sacra Maiestas Vestra Regia, tanquam Rex sapientissimus, facile colligere poterit, quomodo hoc subditis meis probaretur, vel quid mali inde tandem eveniret. Quapropter humiliter summoque studio oro, Sacra Maiestas Vestra Regia non alio consilio hoc a me factum existimare dignetur, quam ut utriusque partis subditis et communi miseriae prospicerem atque consulerem. Sin^{r)} autem Sacrae Maiestati Vestrae Regiae hoc in loco navigandi libera potestas consulta videtur, facile, quae Sacrae Maiestati Vestrae Regiae placuerint, in singularem eiusdem honorem (salvis tamen contractibus, meis privilegiis veteribusque laudatissimis inductis consuetudinibus, habitaque Reipublicae utilitatis ratione, ne videlicet ea propter defectum annonae reliquorumque ad vitam necessariorum quid detrimenti capiat), mihi persuaderi paciar.

E tercio Regiae Vestrae Maiestatis scripto certas nobilitatis Mazoviae querimonias accepi, quibus me iterum accusant, de non restitutis profugis eorum colonis, iuris dispendium in denegata iusticia mihi impingentes. Secundo referre eos scribit Regia Vestra Maiestas, quum ex

terris Mazoviae annona et reliqui commeatus in Borussiam uberrime vehantur, vicissim tamen ipsis hinc^{v)} evehi eadem non licere, sed liberam rerum commutationem ipsis prohiberi^{u)} et per nos rescindi, eaque contra vicinitatis et bonae coniunctionis iura committi^{u)}. Quare Regia Vestra Maiestas clementer me admonet, ne ea deinceps inhibeam, simul et curem, quo profugi eorum sine difficultate ipsis restituantur, nequaquam ultra aequitatis rationem eos detinendo etc., quemadmodum et Regiae Vestrae Maiestatis literae copiosius ea perstringunt.

Super quae Regiae Vestrae Maiestati pro certa et vera instructione obedientissime significare volo, quod mox accepto priori Regiae Vestrae Maiestatis hac de re mandato, omnibus et singulis meis officialibus et subditis praecepi, quo Regiae Vestrae Maiestati subditae nobilitati profugos colonos, quos iure requirerent, vigore publicae confoederationis libere dimitterent. Nec hactenus ulla ad me de non servato meo praecepto rediit questio, quare nec secus scire potui, quam debita obedientia praestitum fuerit^{v)}, quod mandaveram. Si vero adhuc alicubi profugus contra iura et aequitatem detinetur, de quo certificatus fuero, eam operam adhibebo, ne diucius contra iura detineatur, sed huic, cui debetur, citra dispendium restituatur, meique inobedientiae debitas poenas experiantur.

Quantum autem spectat ad annonae mutuum ex Mazovia in meum Ducatum et e regione transportacionem, haud ullius recordor a me factae inhibitionis (licet non dissimile et mei a vicinis sint experti), nisi fortasse inevitabilis domorum mearum necessaria provisio alicubi pro temporis ratione id postulasset, quod tamen generalis inhibitionis speciem nunquam assumpsit. Compertum autem habetur, experientia ipsa indies veritatem testando, quod non e Masovia tantum, sed et quam plures aliarum Regiae Vestrae Maiestatis provinciarum subditi agminatim Ducatum meum frequentant, pro usuque et necessitate eorum omnigenarum vendibilium rerum copiam hinc evehentes, quemadmodum et his diebus perpauca cum aliquibus et tritici et siliginis lastis factum scimus, reportantes etiam et alias et diverso quidem merces, sed et hoc partius quam coveniens ipsa vicissitudo postulare. Ex quo autem me sciente nulla talis inhibitio est facta, qualis a nobilitate delata est, excepta temporaria illa, quam supra exposuimus, multo certe iustius Regiae Vestrae Maiestati, plurimarum rerum aliarum [negotiis] occupatissimae, debita cum reverentia pepercissent et minime huiusmodi fictis delationibus regiam clementiam inquietassent, sed mihi potius prius indicassent, si quid eos torsisset, quo necessaria subordinata fuisset inquisicio, an etiam iuste conquererentur necne. Quod certe ab ipsis factum neutiquam recordor. Si quis vero certo et deprehenso facto probare poterit, contra veterem laudabilemque consuetudinem, observationes vicinitatis ac confoederationes publicae pacis negotiationis sibi viam praeclusam esse, sub praetextuque mei mandati ultra vel citra commeatum transportare vetitum unquam fuisse, lubens volo me in eo casu ea aequabilitate ei accomodare, ut nullus iustam de me erga Regiam Vestram Maiestatem questionem movere possit. Haec Sacrae Maiestati Vestrae Regiae, ut Domino meo clementissimo (quem nunc Deo Optimo Maximo commendo), humiliter ad eiusdem literas, maxima veritatis habita ratione, respondere volui, humiliter debiteque orans, Sacra Maiestas Vestra Regia hanc meam responsionem boni ac clementer consulere illique plenam fidem adhibere ac se mihi in omnibus (uti spero

semperque expertus sum antea) clementissimum exhibere dignetur. Dae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria Christianus.

- | | |
|--|---|
| a) <i>verbum correctum.</i> | m) <i>pro expuncto: domino superscriptum.</i> |
| b) <i>pro expuncto: me superscriptum.</i> | n) <i>in ms. perpetuo</i> |
| c) <i>correctum ex: procurare</i> | o) <i>correctum ex: liberarem</i> |
| d) <i>sequitur expunctum: nostra et supra: mea</i> | p) <i>correctum ex: adque</i> |
| e) <i>in ms. legatis ad hoc destinatis</i> | q) <i>pro expuncto: nostro superscriptum.</i> |
| f) <i>correctum ex: gratiae</i> | r) <i>correctum ex: Sim</i> |
| g) <i>in ms. que</i> | s) <i>sequuntur 2 litterae expunctae.</i> |
| h) <i>verbum correctum.</i> | t) <i>correctum ex: prohibere</i> |
| i) <i>sequitur expunctum: citius</i> | u) <i>in ms. commiti</i> |
| j) <i>sequitur expunctum: subditis</i> | v) <i>sequitur expunctum: quam</i> |
| k)-l) <i>in margine.</i> | |

Cedula

Petunt responsum ad ipsorum literas propter proscriptionem.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Posteaquam nuper ad Sacram Maiestatem Vestram Regiam Nobili ac Generoso Ioanni a Creytzenn, Iuris Utriusque Doctori, Illustrissimi Principis Prussiae Ducis etc., Domini nostri clementissimi, Cancellario, literas propter odiosissimam proscriptionem dederimus, ad quas (sine dubio arduis atque gravibus rebus obstantibus) nihil responsi accepimus, humillime deditissimeque adhuc obtestamur, Sacra Maiestas Vestra Regia eas ipsas literas considerare atque apud Romanas Caesaream Catholicam et Regiam Maiestates¹⁾ (sicut etiam antea peciimus) pro abolitione thediosissimae²⁾ proscriptionis instare dignetur. Quo tandem nos, Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae, inclitae Poloniae Coronae nostrique Illustrissimi Principis ac Domini etc. fidelissimi subditi, omni metu liberati atque in tuto collocati, Sacram Maiestatem Vestram Regiam amplius molestare opus non habeamus. Quare Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae clemens regiumque responsum, quo gaudere queamus, humiliter petimus. Hoc erga Sacram Maiestatem Vestram Regiam, ut Dominum nostrum clementissimum, summo semper studio, omni obedientia, omnibus bonis vitaeque denique periculo demereri nullo non tempore conabimur, Sacrae Maiestati Vestrae Regiae a Deo Omnipotenti omnibus in rebus foelix incrementum, prosperam valetudinem, pacificum regimen obtabilemque²⁾ omnibus in rebus successum precantes. Datum ut in literis.

²⁾ sic in ms.

¹⁾ Carolus V et Ferdinandus I.

Alia cedula

Petit mittere legatos ad Romanas Caesaream ac Regiam Maiestates¹⁾ pro abroganda proscriptione.

Sacram quoque Maiestatem Vestram Regiam, summa mea urgente necessitate, omni obedientia celare non possum, quod brevi ante²⁾ obsi-

gnatas has literas scripta a quibusdam haud infimae conditionis hominibus ex Germania bona fide acceperim, in quibus a multis fideliter mihi suadetur, ne pro mea causa in proximis iam futuris Comiciis instare ac sollicitare negligere aut intermitterem. In primis cum esset omnibus ubique notissimum, quantum iam Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae autoritas apud Sacram Caesaream et Catholicam Maiestatem valeret, quantusque inter illas praeclarissime nominatas Maiestates amor et amicitia existeret, adeo ut ab omnibus crederetur Sacram Caesaream Maiestatem Sacrae Maiestati Vestrae Regiae nihil denegaturam. Quapropter me summe adhortantur, ut Sacram Maiestatem Vestram Regiam summis praecibus sollicitare non desisterem, neque conquiescerem, donec Sacra Maiestas Vestra Regia suam autoritatem hoc tempore commodissimo pro abroganda odiosissima proscriptione interponeret. Quapropter humillime summisque praecibus^{b)} obtestor, Sacra Maiestas Vestra Regia ex regia clementia innataque bonitate, propter me meosque subditos, eam ob causam ad Caesaream Romanamque Sacras Maiestates proprios legatos mittere dignetur, praesertim cum hoc tempus consulendi his terris Prussiae ab omnibus commodissimum iudicetur. Quo tandem ego Sacram Maiestatem Vestram Regiam, iam honestissime consenscentem gravissimisque alioqui negotiis occupatam, propter has terras, tanquam suum feudum, in causa proscriptionis et reliquis amplius sollicitare opus non habeam, atque ego, simulatque fidelissimi mei subditi, Sacra Maiestate Vestra Regia adhuc vivente (quam diu salvam, sanam atque incolumem optamus atque a Deo praecamur), eiusdem maxime auxilio in tuto collochemur. Datum ut in literis.

In margine in initio scripti: Ad Seniore Regem Poloniae, VIII Ianuarii.

a) *correctum ex:* antea

b) *sequitur expunctum:* obste

1) *Carolus V ed Ferdinandus I.*

N. 1876.

E Regio Monte, 8.I.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori

felicem Annum Novum exoptat; se valde exhilaratum esse nuntiat Achatii

Czema relatione de regia eius benevolentia in se exhibita; obsequia et servitia sua offert.

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 221.

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum cum dato: 6.I.1541, HBA, B. K. 1162)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 467-468.

Albertus dux in Prussia

Isabellae reginae Hungariae

de filio ei recens nato gaudet, ob mortem coniugis dolet; operam et auxilium suum ei in omnibus pollicetur.

(*Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162*).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 457-460.

Ad Ysabellam Reginam Ungariae, VIII Ianuarii.

Laetatur propter natum filium¹⁾ atque dolet propter mortem regis²⁾, coniugis sui. Pollicetur ipsi omnibus in rebus suam operam atque auxilium.

Obsequia nostra amica et quidquid grati praestare possumus.

Serenissima Regina, Domina et Consanguinea nostra amantissima.

Quamvis primum communi fama, deinde etiam certis quibusdam literis ingenti sane animi laetitia acceperimus Reginalem Vestram Dignitatem, divina favente clementia, foeliciter filium peperisse charissimum, quem in timore ac cognitione omnipotentis Dei, in gloriam ipsius multorumque utilitatem, educari atque una cum Reginali Vestra Dignitate, matre sua charissima, in multos foelicissimosque annos vivere ac conescere a Deo Optimo Maximo summis votis praecamur. Non minori tamen animi perturbatione, maerore ac tristitia miserandam deplorandamque Serenissimi Potentissimique Principis, Hungariae Regis foelicis memoriae, Reginalis Vestrae Dignitatis charissimi^{a)} consortis, Domini ac affinis nostri suavissimi, mortem percepimus. Quandoquidem vero haec omnipotentis Dei immutabilis sit voluntas ordoque irrevocabilis, ut omne, quod vivit vitamque adeptum sit, rursus mori[atur] et sic firma fide per Iesum Christum, unicum salvatorem nostrum, vitam atque gloriam aeternam ingrediatur, ipsi casus iste merito committitur secundum illud: rerum irrecuperabilium summa foelicitas oblivio. Vivimus enim et cunctos exitus unus habet. Ac fuissemus quidem propensi Reginalem Vestram Dignitatem, statim accepta eiusdem charissimi Domini et consortis miseranda morte, invisere, sed eo maxime deterriti, quod Reginali Vestrae Dignitati nostris literis vel etiam legatis dolorem renovare noluerimus, id intermisimus. Posteaquam vero iam secunda ad nos fama pervenit Regna Hungariae inter se dissidere atque Reginalem Vestram Dignitatem Budae obsidione cinctam esse, non potuimus non Reginalem Vestram Dignitatem, ex innata consanguinitate mutuoque amore et amicitia, ad declarandum eidem animum nostrum syncerum voluntatemque singularem hisce nostris literis invisere, quo tandem Reginalis Vestrae Dignitatis valetudinem, statum et conditionem vere cognosceremus. Nam si quibus unquam rationibus et modis Reginali Vestrae Dignitati in omnibus etiam suis gravaminibus et adversitatibus tam facile inservire auxiliumque praestare quam scribere possemus, in nobis certe nihil desiderari deberet. Firmiter autem speramus Reginalem Vestram Dignitatem, tanquam Reginam sapientissimam, id omne, quidquid est mali vel adversi, Deo omnipotenti commissuram. Quod fideliter suademus fierique a Deo petimus, prorsus nihil dubitantes, Deus omnipotens, consolator afflictorum unicus, eas omnes adversitates, calamitates atque gravamina in Reginalis Vestrae Dignitatis eiusdemque iunioris Do-

mini ac filli charissimi utilitatem, honorem singulareque dignitatum incrementum convertet. Pollicemur etiam nos Reginali Vestrae Dignitati in his omnibus consilio, opera auxilioque pro viribus nunquam defuturos, summopere petentes, Reginalis Vestra Dignitas nos nostramque charissimam consortem³⁾ solito amore, benevolentia et amicitia amplecti ac prosequi, in iisdemque nos quam diutissime conservare atque nos de sua conditione ac statu certiores reddere dignetur, quo de eiusdem foelici omnium rerum successu (uti speramus, contrarium abominantes) congaudere queamus. Ad quae omnia Reginali Vestrae Dignitati nos, nostra charissima consors suavissimaque filia⁴⁾ auxilium divinum, foelicissimum Novum Annum omnemque foelicitatem ex animis summisque votis precamur. Datum e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria.
Christophorus Sangner.

a) in ms. charissimae

1) *Ioannes Sigismundus.*

2) *Ioannes Zápolya.*

3) *Dorothea.*

4) *Anna Sophia.*

N. 1878.

E Regio Monte, 8.I.1541.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Chelmensi, R.P. vicecancellario, enumerat causas, ob quas ipse nullos legatos propter proscriptionem ad imperatorem et Comitum Imperii mittere in animo habeat; rogat, ut apud regem instet, quo responsum in causa testamenti clemens et cito obtinere possit; terminum regundorum finium a rege institutum sibi nimis incommodum videri nuntiat, sed si mutari nequeat, se eum accipere scribit.

Cfr. El. XXXVI, N. 665.

(Adsunt 6 conc., 3 Latina et 3 Germanica, cum parvis differentiis formalibus, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 420-428.

Ponit causas, quare nullos legatos propter proscriptionem in Comitum mittendos denominare velit. De testamenti sui confirmatione.

De praescripto die determinandi limites.

Posteaquam Nobilis ac Generosus Ioannes a Kreitzen, noster Cancellarius, paucos ante dies a Sacra Maiestate Regia, Domino et avunculo nostro clementissimo, domum redierit responsumque ab eadem retulerit, a Reverenda Paternitate Vestra sibi commissa eiusdemque summam erga nos benevolentiam ac consilium in causa proscriptionis multa commemoratione summaque fide ac diligentia exposuit, sicuti ex Reverendae Paternitatis Vestrae literis, quas idem noster Cancellarius nobis tradidit, abunde intelleximus. Ac quandoquidem de Reverendae Paternitatis Vestrae amore, amicitia, bona voluntate, diligentia ac studio nostris in rebus promovendis nunquam dubitaverimus, eo semper liberius nostras eidem res atque negocia commisimus et committimus adhuc, propterea nos Reverendae Paternitati Vestrae multum debere agnoscimus.

Pro quibus omnibus cum iam dignas referre non possimus, interim gratias quam possumus agimus maximas. Et si qua unquam in re Reverendae Paternitati Vestrae gratificari poterimus, experietur sane facta respondere verbis nosque amicum eiusdem esse singularem. Ex consilio Reverendae Paternitatis Vestrae ad Sacram Maiestatem Regiam propter proscriptionem literas dedimus, quarum summam vel tenorem hic recensere ideo omisimus, ne Reverenda Paternitas Vestra superflua lectione oneretur, cum eas alioqui in eiusdem manus devenire sciamus. Fuissemus etiam propensi, secundum Reverendae Paternitatis Vestrae iudicium, quosdam denominare ac praescribere, qui tunc apud Sacram Romanam Catholicam Caesaream Maiestatem¹⁾ vel eiusdem officiales instarent, sed ab isto proposito nos quaedam causae, quas Reverendae Paternitati Vestrae recensere volumus, avocarunt, amice petentes, Reverenda Paternitas Vestra has literas nonnihil prolixiores boni consulere velit.

Principio haec res non tam ad nos, quam Sacram Maiestatem Regiam inclitamque Poloniae Coronam pertinet. Idcirco eadem etiam in Hispania Sacram Romanam Caesaream Maiestatem pro abroganda ista proscriptione petere non est gravata. Porro cum nominata Romana Caesarea Maiestas propter hanc causam antea, absentibus Regni ordinibus, quid certi respondere noluerit, sed ad eorum praesentiam distulerit, iudicaret quilibet eam rem Sacrae Maiestati Regiae Poloniae etc. non cordi, vel certe non multum in ea situm esse, si iam nullum nuntium ad instandum pro foelici responsione eo mitteret, praesertim si quis alius, ad Sacram ipsius Regiam Maiestatem non pertinens, petere vel instare deberet. Inde fieret, quod neglecta hac occasione nunquam fortasse posthac in aeternum se talis offerret, fronte enim capillata post haec occasio calva est. Qua ex re Sacrae Maiestati Regiae inclitaeque Coronae inevitabile damnum sequeretur.

Secundo, personae, quas nos praescribere possemus, Romano Regno subiectae sunt. Haec igitur res cum sit contra Regnum Romanum, quomodo aliquid absque suspitione aliqua petere possent? Taceamus interim, quod in communi Senatu eorum bona etiam consilia minus respirerentur eorumve ratio ulla haberetur.

Tercio, eae ipsae personae Caesariae Maiestati intollerabiles sunt, vel certe apud eandem exiguae autoritatis propter causam fidei. Quare sic minus commodi ac plus mali esset pertimescendum. Praeterea esset Sacrae Maiestati Regiae parum magnificum, vel certe mutuo inter ipsos amori congruum. Istis igitur de causis personas perscribere intermisimus.

Quandoquidem vero Sacra Maiestas Regia eam iam iniunctam spem habeat literisque suis denotet, se abrogationem proscriptionis apud Caesaream Maiestatem facile obtinere posse, diligenter suademus, Sacra Maiestas Regia in causae istius commodum suos legatos eo mittere velit. Et si Sacra Maiestas Regia sumptus tantopere aestimet, potest talem personam, quae ipsius Maiestatem non adeo gravaret et causae tamen satis sufficiens esset, mittere. In quibus omnibus Reverenda Paternitas Vestra pro magnitudine causae convenientia media invenire poterit. Etiamsi iste legatus in causa proscriptionis parum efficeret, haud inutilis tamen videretur ad id, ut consilia de vi nobis et istis terris inferenda^{a)} inita^{b)} disrumpere laboraret, quemadmodum et per Opolinski in Hispania est factum. Cum vero et hoc parum succederet, posset ut minimum Sacram Maiestatem Regiam inclitamque Coronam de omnibus negociis certiore reddere, deque futuro periculo admone-

re, quo omni tempore se citius munire atque ad omnia praeparare possent. Propter ista omnia dicere aliter non possumus, quam quosdam eo mittere necessarium et iam aptum tempus esse. Quapropter indubitate speramus, Sacram Maiestatem Regiam propter proprium feudum, Coronae pericula, nos nostrosque homines ac^{c)} terras suos legatos ad Romanam Caesaream Maiestatem pro^{d)} impetranda, uti dictum est, foelicis responsione mittere.

Regiam illam de testamento nostro respondendi dilationem prorsus non speravimus, et^{e)} merito ea nos nunc gravaret, quandoquidem appareat, quod^{f)} in omnibus Ducatibus ac Regnis rectum, iustum ordinariumque testamentum facere concessum sit neminique denegetur. Et quamvis haec Sacrae Maiestati Regiae sic iam placeant, firmiter tamen sperabimus eam tandem ea, quae proxime nostris literis perque legatum nostrum peciimus et iam literis iterum petimus, facturam eo respectu, quod nihil iniqui, inconveniens, iniusti aut inhonesti quaesiverimus vel pecierimus. Nam Sacra ipsius Regia Maiestas tantam infidelitatem (quae fortasse de nobis iam suspicatur, quasi vellemus in praedudicium ipsius, vel etiam eiusdem feudi, quippiam mutare) divina favente clementia in nobis nunquam deprehendet. Quapropter amice oramus adhuc, Reverenda Paternitas Vestra tantum efficere velit, quo tandem voti compotes fiamus atque petitam nostri testamenti confirmationem impetrare queamus.

De praescripto die determinandi limites inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae Sacrae Maiestati Regiae non multum scribimus, sed potius iudicio eiusdem relinquimus. Et potest profecto isto tempore haud incommodius inveniri, quia tunc Augustus^{g)} foeni ac postea mox reliquorum fructuum apparet. Estque tunc sylva prae foliis, fruticibus atque graminibus densissima, praeterea muscarum atque vermium tanta est copia, ut neque homines neque equi satis commode quiescere poterint. Quare videretur pernecessarium, ne miseri ex utraque parte subditi tempore Augusti negligenterentur, diem regundorum finium aut citius aut tardius instituere. Qua in re Reverenda Paternitas Vestra suam operam collocare etiam non gravabitur. Sin vero Sacrae Maiestati Regiae id tempus prae reliquis in summa omnibus placuerit, non denegabimus, sed grato animo accipiemus. Quae omnia erga Reverendam Paternitatem Vestram amice et summo semper studio demereri studebimus. Ac quandoquidem iam tempus (quod Deo Omnipotenti acceptum ferimus) Novi Anno redierit, optamus atque a Deo Optimo Maximo ex animo summis votis praecamur, eum Reverendae Paternitati Vestrae foelicem, prosperum omnique egregia fortuna auctum evenire concedat. Christus Reverendam Paternitatem Vestram diu servet^{h)} incolumem. Datae e Regio Monte, ut supra.

a) in ms. inferendi

b) correctum ex: innita

c) correctum ex: at

d) in margine.

e) pro expuncto: sed subscriptum.

f) supra lineam.

g) sequitur expunctum: fieri

h) in ms. servat

l) Carolus V.

Cedula

Scribit se a quibusdam ex Germania esse adhortatum, ut instet hoc tempore pro abroganda proscriptione legatos mittere.

Nec Vestrae Reverendae Paternitati amicabilem benevolentiam incomperata relinquere ea potuimus, quae paululum ante harum literarum obsigna-

tionem a fidissimis quibusdam haud infimae sortis hominibus Sacro e Germanorum Imperio significata fuere, inter quos et plures nobis quoque suggererunt, ne huius temporis Comitiarum²⁾, scilicet proxime instantis diei, opportunitatem negligeremus, navareque operam, quo nostra iam dudum in ancipiti haerentia negocia optabili trutina ventilarentur, nequaquam oblivisceremur, praecipue autem quum nemini obscurum sit ac omnibus constet, quanto favore, amicitia familiaritatisque propensione Regia Sacra Maiestas Poloniae, Dominus noster clementissimus ac avunculus semper suspiciendus, a Romana Imperatoria et Regia Maiestatibus¹⁾ complectatur venereturque impense et effusissime diligatur, omnes testatissimum esse sibi persuadent, credentes haud quicquam Regiae Suae Maiestati ab Imperatoria ac Regia Maiestate denegari posse³⁾. Quare summopere nobis suadent et monent, ne desides modo quiescamus, sed peraccurato studio insistamus⁴⁾ apud Sacram Regiamque Maiestatem Poloniae, modis omnibus precibus solicitando perurgeamus, quo Regia Sua Maiestas hoc tempore quoque, quo commodius neququam brevi expectandum, nostro nomine laborare velit ac [apud] Imperatoriam Regiamque Maiestates nostra provintiaeque et populi subiecti negocia ita promovere, ut proscriptio rescinderetur⁵⁾ aliquando et nos ea angustia Dei et Regiae Maiestatis adiutorio sublevareremur.

Quare nostra amica⁴⁾ petitio est, Reverenda Vestra Paternitas velit nostro nomine et amore singulari, praecipue hoc tempore, Brutenicis laborantibus rebus sublevandis opportunissimum ab omnibus iudicatum⁵⁾, apud Sacram Regiam Suam Maiestatem instare, petendo consulere et consulendo sollicitare ac commodioribus, quibus Vestra Reverenda Paternitas novit et poterit, mediis urgere, quo Regia Sua Maiestas tutelare praedictae nostrae causae patrociniū, nostro ac populi nostri tanquam feudi sui nomine, in se recipere dignaretur, apud praedictas Imperatoriam ac Regiam Maiestates viva legatione intercedendo, ut tam gravis proscriptionis censura cum sibi adhaerentibus incommoditatibus semel aboleretur, ne deinceps onerosa Suae Maiestati nostra tam frequenti imploratione simus molesti, nobisque simul et fidelibus nostris subditis pacificata vera securitas affulgeat in diebus Regiae Suae Maiestatis optatis. Nam et simili proscriptionis censura regiam Dantiscanam⁶⁾ civitatem olim laborasse accepimus. Quae tamen Regiae Suae Maiestatis apud Imperatoriam Maiestatem Maximiliani foelicis memoriae intercessione, Viennae tunc temporis interposita⁷⁾, minori negotio est abolita et penitus extincta. Quare nec diffidimus, si tantum illa oportunitas non fuerit neglecta, quin et haec Sua Maiestas Regia facili opera sit impetratura. Haec erga Reverendam Paternitatem Vestram modis omnibus promereri studebimus. Datum ut in literis.

a) correctum ex: possem

b) in ms. insistemus

c) in margine pro verbo in textu expuncto.

d) correctum ex: amicitia

e) error pro: opportunissimo ab omnibus iudicato (scil. tempore)?

f) verbum correctum.

g) in ms. interposite

z) sic in ms.

1) Carolus V et Ferdinandus I.

Alia cedula

Ut instet apud Regem pro moneta, profugis, appellatione, Elbingensium conquestionibus et edicto frumentario.

Quandoquidem etiam propter causam appellationis, monetam, profugos ex Lithuania rusticos, Elbingensium conquestiones ac etiam edic-

tum, quod in nostris terris publicatum dicunt, illis videlicet in Mazovia nullum hinc frumentum advehere, Sacrae Maiestati Regiae scribamus atque respondeamus, quemadmodum Reverenda Paternitas Vestra ex iisdem literis cognoscere potest, amice rogamus, Reverenda Paternitas Vestra ista omnia se sic et non aliter habere, firmiter credere tantumque pro viribus conari atque efficere velit, ut a Sacra Maiestate Regia pro aequitate responsum consequamur clemens atque regium. Quam benevolentiam reliquis vestris adscribemus^{a)} meritis recompensare studebimus. Datum ut in literis.

Commissio Principis propria
Magister Christophorus Sanger^{z)}.

In margine in initio scripti: Samueli Matziauffski, Vicecancellario, VIII Ianuarii.

a) *verbum correctum.*

z) *sic in ms.*

N. 1879.

E Regio Monte, 8.I.1541.

*Dorothea dux in Prussia
Annae duci Masoviae, Stanislai Odrowqz coniugi,
felicem Annum Novum precatur; pro equo Turcico sibi dono misso, per
Ioannem Policki adducto, gratias agit.
(Schedula: succinum album dono mittit, « ut eo medicinae loco ac
necessitatis tempore uti queat »)
(Latine)
Cfr. El. XXXVI, N. 654.
(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).
Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 444-445.*

N. 1880.

E Regio Monte, 8.I.1541.

*Albertus dux in Prussia
Stanislao Odrowqz, palatino Podoliae,
pro litteris et muneribus per Ioannem Policki sibi missis gratias agit;
rogat, ut falsam de se conceptam opinionem, quasi eum oblivioni
tradidisset, ex animo eiiciat; se nescivisse scribit missum ei canem
eunuchum fuisse; pro equo Turcico coniugi suae ab uxore eius [Anna
duce Masoviae] dono misso gratias agit.
(Latine)
Cfr. El. XXXVI, NN. 654, 676.
(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).
Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 448-451.*

Albertus dux in Prussia

Stanislaŏ Odrowąż, palatino Podoliae,

rogat, ut apud regem instet, quo « bono titulo iureque hereditario consecutis libertatibus ac iuribus » in re monetaria et iudiciaria sine ulla molestatione uti possit; orat praeterea, ut negotium oratorum ad Comitia Imperii mittendorum apud regem promoveat.

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 453-456.

De moneta et appellatione et^{a)} proscriptione.

Magnificentiam Vestram singulari clementia summaque fiducia celare non possumus, quod nostri antecessores foelicis memoriae omnes, ac etiam nos, hactenus semper absque omni turbatione vel impedimento, cudendae monetae liberam potestatem habuerimus, quam postea nobiscum ad inclitam Poloniae Coronam tulimus; praeterea etiam ea omni iure haereditario consecuta veterique consuetudine inducta privilegia, libertatem atque iustitiam, quod nemini a nostro iudicio ad alia provocare vel appellare permissum fuerit. Verum nos iam malleum ponere non tantum monemur, sed et fere compellimur. Ad haec accidit aliquando^{b)}, quod posteaquam cives aliquot Gdanenses, contententes cum quibusdam nostri Ducatus subditis, in ordinario aulico nostro iudicio causa cecidissent, contra istarum tamen terrarum nostrorumque omnium libertatem, consuetudinem ac usum (quae omnia nostri antecessores istarumque terrarum inhabitatores^{c)} ante aliquot centum annos proprio sanguine mercati atque consecuti sunt) ad Sacram Maiestatem Regiam Poloniae, Dominum et avunculum nostrum clementissimum, appellarint.

Cum igitur duo ista privilegia, ad monetam et appellationem pertinentia, istarum terrarum, tanquam maximae libertates, ad Sacram Maiestatem Regiam Poloniae eiusdemque inclitam Coronam (uti antea meminimus) et non ab ipsis ad nos atque istas terras pervenerint, praeterea etiam quandoquidem Sacra Maiestas Regia ante^{d)} praestitum homagium atque perpetuae pacis innitum contractum nobis nostrisque terris, praesens ac postea etiam literis, omnia nostra iura, privilegia, libertates ac consuetudines sancte ac inviolate conservare pollicita sit (propter quae tamen omnia, ut supra dictum est, sollicitamur) Sacram Maiestatem Regiam nos nostrique subditi istius clementis atque regii promissi admonere, atque ut nos in istis nostris iuribus, libertatibus ac privilegiis tueri, defendere atque conservare velit (uti eam facere firmiter speramus), literis invisere coacti sumus, quemadmodum etiam ad promovendum istas res apud Sacram Maiestatem Regiam bonos quosdam nostros Poloniae Coronae Dominos et amicos literis peciimus. Quandoquidem vero de Magnificentia Vestra omnem honorem, benevolentiam ac amicitiam^{e)} nobis persuadeamus, atque etiam ea negocia Magnificentiae Vestrae offerri credamus, amice petimus, Magnificentia Vestra hac in re laborare atque apud Sacram Maiestatem Regiam instare velit, quo nos istis bono titulo iureque haereditario consecutis libertatibus ac iuribus gaudere iisque absque ulla molestacione quiete uti possimus.

Praeterea Magnificentiam Vestram latere minime credimus, nos nostrosque fideles subditos a Sacra Caesarea Maiestate¹⁾ non sine maximo gravamine esse proscriptos. Cum vero iam Ratisbonae (uti percepimus) a Sacra Caesarea Maiestate atque ordinibus Regni Germanae nationis Comitia celebrentur, Sacrae Maiestati Regiae, Domino nostro clementissimo, humiliter supplicavimus, ut hoc tempore, quo aliud vix commodius se offerri creditur unquam, suos proprios legatos ad Sacram Romanam Caesaream atque Regiam Maiestates pro abroganda hac odiosissima proscriptione mittat. Ac quamvis pro summa nostra necessitate Sacram Maiestatem Regiam nostrae petitioni acquiescere minime dubitemus, quo tamen haec omnia et facilius et splendidius fiant, amice oramus, Magnificentia Vestra²⁾ in singularem benevolentiam nostram apud saepe iam nominatam Sacram Maiestatem Regiam, Dominum et avunculum nostrum clementissimum, promovere et id agere velit, ut eisdem proprii legati hoc iam tempore, quod omnibus ad consulendum Pruthenicis negociis commodissimum videtur, ad Romanam Caesaream Catholicam et Regiam³⁾ Maiestates pro abolenda atque abroganda odiosissima proscriptione mittantur. Quae legatio etiam ad id vel plurimum prodesset, ut si qui apud ipsorum Maiestates vel Regni Romani ordines (quemadmodum facile accidere potest, prout alioqui quilibet sine dubio hoc tempore suam salutem experietur) contra istas Prussiae terras inceptare, moliri aut bella movere vellent, aut aliquod aliud conarentur, id per legatos propter summum inter Sacram Romanam Caesaream et Sacram Regiam Poloniae Maiestates amorem, amicitiam⁴⁾ atque auctoritatem, sicuti et antea est factum, amoveretur atque averteretur. Quo sic Sacram ipsius Maiestatem Regiam propter has terras, tanquam eiusdem feudum, in causa proscriptionis atque eidem adhaerentibus molestare amplius opus non habeamus atque nos, Sacra ipsius Regia Maiestate adhuc vivente in tutum collocati, in portu (quod aiunt) navigare possimus. Nam vel urbs etiam Dantiscana olim (uti nobis refertur) a Caesarea Maiestate proscripta, Sacrae Maiestatis Regiae Poloniae singulari opera atque auxilio apud laudatissimum Caesarem Maximilianum Viennae eandem proscriptionem prorsus abrogando, liberata est. Quod idem etiam secundum nostrum iudicium, arrepta hac praesenti occasione, Sacra Maiestas Regia praestare atque consequi facile poterit. Haec omnia erga Magnificentiam Vestram (quam nunc Deo Optimo Maximo commendamus atque in Nestoreos usque annos salvam incolumemque optamus) singulari⁵⁾ clementia, re denique etiam ipsa, demereri propensi sumus. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.

Christophorus Sangner.

In margine in initio scripti: Domino Stanislao Odrowasch, VIII Ianuarii.

a) *supra lineam.*

b) *sequitur expunctum:* p

c) *in ms.* inhibitorios

d) *in ms.* antea

e) *in ms.* amicitia

f) *correctum ex:* Vestram

g) *correctum ex:* singula

1) *Carolus V.*

2) *Ferdinandus I.*

N. 1882.

E Regio Monte, 8.I.1541.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Sieniawski, castellano Belsensi,
pro litteris per Ioannem Policki sibi allatis et pro communicatis novita-
tibus gratias agit; rogat, ut saepius scribat; pro equo gradario sibi
dono misso gratias agit.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, NN. 653, 670.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 446-447.

N. 1883.

E Regio Monte, 8.I.1541.

Albertus dux in Prussia

teloneatori Posnaniensi [Stanislaw Dziaduski]

*quod vasa sua, vinum continentia, sine ulla telonei solutione libere dimi-
serit et erga homines suos se benevolum exhibuerit, gratias agit et
rogat, ut etiam in posterum hoc faciat et ita se gerat (« cum multa
interdum ad sustentationem aulae nostrae per nostros ex Germania
transmittantur »).*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 447-448.

N. 1884.

E Regio Monte, 8.I.1541.

Albertus dux in Prussia

Lucae a Górká, episcopo Cuiaviensi,

*pro litteris et novitatibus gratias agit; scribit rumorem ad se delatum
de Regno Hungariae a regina Isabella regi Romanorum tradito.*

Cfr. El. XXXVI, N. 660.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 465-467.

*Agit gratias pro communicatis novitatibus. Scribit quaedam nova de
Ysabella Regina Hungariae.*

Obsequia nostra amica et quidquid grati praestare possumus.

Reverende in Christo Pater, Amice ac Frater nobis charissime.

*Reverendae Paternitatis Vestrae literas, datas Posnaniae XV De-
cembris mensis praeteriti, plenas videlicet humanitatis atque benevo-
lentiae paucos ante dies accepimus fueruntque illae nobis multis nomi-
nibus gratissimae, cum quod declarabant nobis singulare quoddam ac
vere fraternum Reverendae Paternitatis Vestrae erga nos studium, tum*

quod perspiciebamus ex illis Reverendae Paternitati Vestrae omnia ea, quae nuper ad eandem scripsimus, non solum grata fuisse, verum etiam vehementer probari. Proinde quod pollicetur atque promittit sese accommodaturam arbitrio et consilio nostro, si quid ad eandem delatum fuerit, et quod res novas nobis communicare non est dedignata, agimus Reverendae Paternitati Vestrae eas quas possumus maximas gratias dabimusque operam, ut summam in pari officio vicissim gratitudinem nostram Reverendae Paternitati Vestrae exhibeamus, cui certe in omnibus et gratificari et modis omnibus vehementer prodesse cupimus.

Caeterum cum raro ad nos novitates perferantur et nobis Reverendae Paternitatis Vestrae literis nihil possit accidere vel gratius vel iucundius quicquam, amice ac fraterne rogamus, ut illa saepius nos humanissimis suis literis invisere atque res interdum novas, quarum sumus cupidissimi, haud gravatim impartiri non dedignentur. Et cum re ipsa nunc liceat experiri ac cernere, quod multa ac varia accidant, per quae saepe boni viri (qui alioqui digni sunt multorum amicorum commendatione seu potius promotione) impediuntur, malleus coram potius quam per literas cum hiis, tum aliis de rebus communibus cum Reverenda Paternitate Vestra confabulari.

Nova, de quibus Reverendam Paternitatem Vestram certiore reddere possemus, hoc tempore plane nulla habemus. Versamur enim in iis locis, in quae raro nova inferuntur. Perlatum est tamen ad nos idque communi fama, Serenissimam Dominam Ysabellam Reginam Regnum Hungariae Romanorum Regiae Maiestati¹⁾ tradidisse, quod an ita sit necne, certo scire haud possumus. Rogamus autem Reverendam Paternitatem Vestram, ut cum multos habeat amicos, qui huiusmodi nova satis clare atque copiose interdum ad Reverendam Paternitatem Vestram perscribant, eadem nos de omni statu rerum Ungaricalium aliarumque participem facere benigne velit... Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria idem
audivit legere.
Hieronymus.

In margine in initio scripti: Ad Dominum Lucam de Gorcka Comitem,
Episcopum Vladislaviensem, VIII Ianuarii.

1) *Ferdinandus I.*

N. 1885.

E Regio Monte, 8.I.1541.

Albertus dux in Prussia

Andreae a Górká, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo, pro litteris 15.XII.1540 ad se datis et pro significatis sibi novitatibus gratias agit; rogat, ut id frequenter faciat; pro pecunia ei mutuo data tanta gratiarum actione opus non fuisse ait.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 659.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 451-452.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Decio, regis Romanorum aulico,

litteras eius, in Nova Civitate 10.XII.1540 datas, se accepisse nuntiat et pro missis novitatibus gratias agit; rogat, ut saepius scribat et novitates significet.

(Latine)

Cfr. El. XLVIII, N. 382.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, f. 457.

Albertus dux in Prussia

archiepiscopo Gnesnensi [Petro Gamrat]

felicem Annum Novum ei exoptat; ob archiepiscopatus Gnesnensis dignitatem gratulatur; rogat, ut negotia sua regi commendet.

Cfr. El. XXXVI, N. 667.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 460-462.

Gratulatur propter adeptum Archiepiscopatus honorem. Petit sua ardua negotia Sacrae Maiestati Regiae Poloniae commendare.

Obsequia nostra amica et quidquid grati praestare possumus.

Reverendissime in Christo Pater, Domine, Amice ac Frater nobis charissime.

Si non alia essent, quae nos ad Reverendissimam Paternitatem Vestram hoc tempore scribere compulsissent, certe Novus hic Annus auctaque illa et noviter adepta Archiepiscopatus dignitas satis iustam nobis Reverendissimam Paternitatem Vestram literis nostris invisendi occasionem dedissent. Optamus itaque primum, ut Novus hic Annus Reverendissimae Paternitati Vestrae bonis auspiciis ineat, foelicissimis exeat ac semper foelicioribus recurat, deinde Reverendissimae Paternitati Vestrae ob auctam illam et noviter adeptam dignitatem plurimum gratulamur, Deum Optimum Maximum summis praecibus obsecrantes, ut is Reverendissimam Paternitatem Vestram ad communem totius Christianae Reipublicae utilitatem et divini nominis sui gloriam diu servet salvam atque incolumem eandemque foelicissimis semper frui rerum successibus clementer permittat.

Caeterum Reverendissimam Paternitatem Vestram celare nolumus ardua quaedam et satis gravia negotia, in quibus non nobis solum ac Ducatui huic nostro, Sacrae scilicet Maiestatis Regiae, Domini nostri clementissimi, feudo, verum etiam universae familiae ac domui Brandenburgensi multum momenti positum est, nos praefatam Maiestatem Suam Regiam et per literas et nuntios invisere compulsisse. Et cum in Reverendissimam Paternitatem Vestram multum semper spei ac fiduciae collocaverimus, nec dubitemus, quin Sacra Maiestas Regia Reverendissimam Paternitatem Vestram iis quoque de negotiis certiolem redditura sit, nolumus praetermittere, quin Reverendissimae Paterni-

tati Vestrae talia una cum iis responsis, quae Regia illius Maiestas nobis gratiose ad petitiones nostras dare dignata est, transmitteremus, prout ex adiectis copiis clarius intelliget. Rogamus itaque Reverendissimam Paternitatem Vestram amice ac fraterne, ut illa nobis suam quoque operam haud gravatim impartiri eaque negotia omnia apud Maiestatem Suam Regiam diligenter et promovere et commendata sibi habere non dedignetur, quo voti atque desiderii nostri compotes fieri et a Sacra illius Regia Maiestate clemens ac gratiosum responsum, habito respectu, quod nihil inhonesti, illiciti aut contra iura et aequitatem petierimus, impetrare possimus. Sicuti eandem, utpote quae plurimum apud Maiestatem Regiam autoritate sua valet, facturam non dubitamus. Dabimus nos operam, ut Reverendissimae Paternitati Vestrae vicissim amanter ac studiose inservire queamus. Quae bene foeliciterque valeat. Datum e Regio Monte, ut supra.

Mutatis mutandis den letzten punct ad Episcopum Cuiaviensem¹⁾; item Comitem de Tharnau; item Andream de Gorckau.

Commissio Principis propria.
Hieronymus.

In margine in initio scripti: Ad Archiepiscopum Gnisnensem, VIII Ianuarii.

1) Lucas a Gôrka.

N. 1888.

E Regio Monte, 8.I.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Kościelecki (Cotzieletzki), palatino Brestensi, litteras eius, in Nakto 12.XII.1540 datas, se accepisse nuntiat; pro vasis vini absque telonei solutione libere dimissis gratias agit et rogat, ut in posterum quoque merces ad se pertinentes libere transvehi permittat.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 658.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, f. 463.

N. 1889.

E Regio Monte, 8.I.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Kuntz (Cuntz), civi Posnaniensi, litteras eius, Posnaniae 10.XII.1540 datas, se accepisse nuntiat; pro diligentia apud capitaneum et teloneatorem Posnanienses [Andream a Gôrka et Stanislaum Dziaduski] adhibita, ut vasa sua vinaria libere dimitterentur, gratias agit.

(Latine)

Cfr. El. XLV, N. 33.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, f. 464.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Nibschitz, secretario regio,

de meliore eius valetudine gaudet; pro communicatis novitatibus gratias agit; sperat hoc anno Turcam minus metuendum fore etc.

Cfr. El. XLVIII, NN. 381, 383.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 462-463v.

An Nickell Nyptzschitz, den 8 Januarii^a).

Erstlichen, was anlangt seyne schwacheyt. Item von dem vortragk, so zwischen dem herrn Nackell und Gregernn Franncken. Desgleichen die erlegung des geldts betrifft. Item thut dancksagung vor die newhen zeitungen.

Unsern grus zuvorn.

Erenvhester, lieber, getrewer.

Wir haben kurtz nacheinander zwey schreyben, bede zu Posenn, das erste Suntags nach Katharinae, das ander Mitwoch nach Lucie aussgangen, von dir entpfangen und auss allen deyne schwacheyt und widerwertigen zustandt, das wir dan billich ein genedigs mitleyden mit dir tragen, verstanden. Seind aber hinwider nit wenig erfrewet, das sich solche schwacheyt, Gott lob, widerumb zu eyner gutten besserung gewandt und wollen zu dem Almechtigen verhoffen, du habest numehr dein vorige gesundtheyt, die wir dir von hertzen hiemit wunschen, gantz und gar widerumb erlangt.

Das aber der ernvhest unser cemmerer, rath und lieber, getrewher Cristoff von Creytzenn, den hern bischof mit deynem rath nit angesprochen, bleybt yn ym selbst, und wer wie uns die zeit ansyhet, er uns auch geschrieben, das man s.l. yhn andern gescheften gebraucht, vil davon zu schreyben, welches ytzundt der federn oder auch auf den weg nit wol zu vortrawen.

Was den aufgerichten vertrag zwischen herrn Nackell und Gregern Franncken, desgleichen die erlegung des gelts betrifft, lassen wir dasselb vorigem unserm schreyben nach yhn ym selbst also beruhen und ist uns warlich nit lieb, das du derhalben yppige wort hast horen müssen. Dw aber, als der verstendige, hast selbst leichtlich zu ermessen, das uber zweihundert meyl nit so eylendts als^b) uber zweyntzigk oder viertzigk zu handeln.

Der zugeschriebenen und uberschicken newhen zeitungen thun wir uns aufs genedigst bedancken und dir daneben ro.ko.mt.¹) raths und obersten secretarii etc. brief hierin verwardt widerumb ubersenden, mit genedigem begeren, weyl du yn dem eynem synem schreyben meldest, das du uns wol vil von newhen zeitungen zu schreyben hettest, als nemblich vom keyser^{1a}), reichstegen, ewangelischen, newen uneynigkeyt mit dem konig von Franckreich²), dreyssigktausent Hysspanier yn Ungernn zu schicken, newen practicken yhn heyratshandlungen, wie und was die leuth einander zuschreyben etc., aber solches schwacheyt halben nit zuwegen habest bringen mögen, du wollest uns nachmals des, weyl

wir wenig wissenschaft davon haben, allenthalben verstendigen und grundtlichen berichten, dan wir nit wissen khonnen, wie es khum, das uns so wenig mitgeteylet wirt.

Sovil aber die andern zeitungnen von Ungernn und Turckenn etc. betrifft, ist nit ohn, uns hat unser geliebter freundt und bruder, der her bischof von der Coyenn³⁾, wes der Turck⁴⁾ an die Sibenburger geschrieben, desgleichen wes sich sonst mit tagleisten zwischen konigin Isabella und hernn Lynhardten von Felss etc. zugetragen, vormelt. Welchs wir dir darumb anzeigen, damit ob etwas weyters noch, das uns unwis-sendt, verhanden, du uns desselben auch mogst theylhaftig machen.

Wir haben auch gern gesehen, das sich der von Heberstein solcher wort vornemen lassen, dan wir auch selbest glauben, woe man dem frommen, alten konig, welcher one zweyfel nutzlich, christlich und heylig gerathen, folgen thet, das es der gantzen christenheit, sowol als auch der konigin Isabelle, zu allem gutten geraichen wurde. Das aber der Turck zu dieser zeit dardurch⁵⁾ herausgelockt solt werden, konnen wir yhn unseren kopf noch nit finden und sonderlich auss denen ursachen, das der wallachisch woywoda⁶⁾ abgefallen und die Turckenn alle, so yn der Wallachey yn der besatzung gelegen, erschlagen, zudem, das der Sophi⁶⁾ dem Thurcken auch grossen schaden gethan und ein grosser wascha zu dem Sophi gefallen sein soll. Aus dysem wir verhoffen, das man sich seyner diss jar wenig zu besorgen. Derwegen wess an dysem allem gewiss oder nit, bytten wir durch dich verstendigt zu werden. Und wer, unsers erachtens, ytzundt die rechte zeit, damit das christlich bluth geredt mocht werden. Man sagt aber leider, das vilen heuptern mehr ahn dem, wie sie die rechte, christliche, reyne lehr dempfen und verfolgen, dann dem grausamen vheindt der christenheynt ein statlichen widerstandt thun mögen, gelegen. Und hetten warlich gern gesehen, das her Sigmundt von Heberstein seynen zugk auss Lythauenn zu uns hieher genommen, damit wir uns allerley miteinander unterreden hetten mögen. Das du gesindt und willens, dich vor Lichtmess widerumb gin Crackaw zu erheben und das dich unser brief daselbest, oder zwoe meyl davon auf deynem hoff finden sollen, wunschen wir dir erstlichen zu solcher widerrayse von Gott, dem Almechtigen, vil glucks und heyls, und wollen uns mit ubersendung der brief deynem schreyben nach, der gebur wol zu halten wissen. Die hochgeborne furstin, unser freuntliche, geliebte gemahel⁷⁾, desgleichen unser freuntliche, liebe tochter⁸⁾, dein lieber bull, lassen dir eynen genedigen grus, neben wunschung dyses kegenwertigen und viler nachkhommenden, geluckseligen newen jar, welchs wir dir nicht mynder von Gott wunschen und bitten, zu entbieten. Welches wir dir auf deyne an uns gethane schreyben genediger meynung yhn antwort nicht verhalten haben wollen, dan dir mit gnaden seind wir allezeit gewogen. Datum Konigspergk, den VIII Januarii, anno etc. ihm XLI.

Commissio Principis propria

idem audivit legere.

Hieronymus.

a) *supra*: Anno a nato Christo 1541

b) *supra lineam*.

c) *in ms bis scriptum*.

1) *Ferdinandus I.*

1a) *Carolus V.*

2) *Franciscus I.*

3) *Lucas a Gôrka.*

4) *Solimanus II.*

5) *Stephanus Locusta.*

6) *Tahmasp I Sophi, rex Persarum.*

7) *Dorothea.*

8) *Anna Sophia.*

N. 1891.

E Regio Monte, 8.I.1541.

Albertus dux in Prussia

*Iusto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,
litteras suas Stanislaŏ Odrowąż scriptas eidem tradendas mittit et rogat,
ut responsum ad eas datum sibi transmittat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, f. 464.

N. 1892.

E Regio Monte, 8.I.1541.

Albertus dux in Prussia

*Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,
felicem Annum Novum ei exoptat et nuntiat se — iuxta desiderium eius —
permittere, ut aliquot equi eius Ragnetae manere et nutriri possint.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, N. 10.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 465-465v.

N. 1893.

E Regio Monte, 11.I.1541.

Albertus dux in Prussia

*Petro Opaliński, magistro curiae regis Poloniae iunioris,
rogat, ut se regi iuniori commendare velit; Achatium Czema, castellanum
Gedanensem, et Ioannem a Kreitzen, cancellarium suum, ei commen-
dat; de rebus Hungaricis sibi scribi petit.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 663.

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 468-471.

N. 1894.

E Regio Monte, 12.I.1541.

Albertus dux in Prussia

*Iusto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,
pro novitatibus sibi missis gratiae agit; rogat, ut Antonio Fugger pro
cupro et scuto cum generis sui insignibus gratias agat; scire desi-
derat, ubi regina Isabella nunc commoretur.*

Cfr. El. XLVIII, N. 385.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 465v-466v.

An Jobst Ludwigenn, den 12 Ianuary.

Erstlichen thut sich s.f.g. gegen ime der uberschicken newhen ze-
tungen bedancken, desgleichen auch gegen den herrn Fuckernn der
vereherung der funftzig centner kupper sampt zugeschickten wap-

pen bedancken, und wie Hannss Breda algereith hundert centner überschicket.

Unsern gönstigen grus und genedigen willen zuvorn.

Edler, lieber, getrewer.

Wir wollen euch genediger meynung nicht vorhalten, das gleich, als wir gegenwertigen zaigern, den erbaren unsern hoffdiener und lieben getrewen Johann Politzki von uns abgefertiget, uns drey brief und doneben der vierte, an die hochgeporne furstin, unsere freuntliche, hertzgeliebte gemahel¹⁾, von euch zukommen. Befinden aber allenthalben auss den dreyen nichts, das yhn solcher eyl zu beantworten hoch vonnoten, alleindt der newen mitgetheylten zeitungen thun wir uns yhn gnaden gegen euch bedancken. Und seindt uns warlich die gefערligkeyten der gemeynen christenhey, so darauss scheynen, dermassen zu vornehmen nicht lieb, wollen aber zu dem Allmechtigen verhoffen, ehr werde alles nach seynem gottlichen willen zum besten schicken und schaffen. Und weyl wir, wie oben gemelt, diesen unsern diener auf dissmal gantz eylentz von uns abgefertigt, haben wir euch dorumb mit diesem^{a)} unsern schriften zu besuchen nicht unterlassen wollen, damit ir zusehen, das uns ewere schreyben alle behendigt worden, auch angenehme gewesen sein. Wes wir uns aber ferner derhalben auss eweren schriften mit euch zu bereden, sollen nachfolgende schriften zu eyner andern zeit vormelden. Wir bedancken uns auch gegen den herrn Fuckernn der vereherung der funftzig centner kupfer sampt zugeschickten wappen aufs hochste. Wollens hinwider yhn gnaden gegen sie zu beschulden nicht unterlassen und mögen euch hieneben genediglichen nicht pergen, das uns Hannss Breda algereith hundert centner überschicket, derhalben wir nit zweyfel, ir werdet euch mit der uberigen bezalung dermassen gegen inen, damit wir nicht undanckbar befunden, wol zu erzeigen wissen. Und nachdem yr uns yn eweren zeitungen nicht angezeigt, wo konigin Isabella itziger zeit sey, so bitten wir mit gnaden, ir wollet nachmals auf unsern eignen uncosten die muhe und federn nicht sparen und uns solchs alsdann neben andern zeitungen zu vormelden nicht unterlassen. Von newhen zeitungen wissen wir euch auf dissmal nichts besonders zu schreyben, alleindt gestrigs tages seindt uns brief von Bresslaw ubersendt worden, dorinnen vermelt, das graf Wilhelm von Furstenbergk mit 15 tausent knechten und 500 raisigen dem konig von Franckreich²⁾ zuziehen und den zogk durch Lottringenn nemen sollen, desgleichen das die sag, wie sich sein ko.w. umb Meylanndt und Genua anzunehmen willens. Wes aber der von Braunssweick³⁾ mit Hessen⁴⁾ etc., lauts ewerm schreyben, anfahren sall, tragen wir nach gar keyn wissen, alleint wes sie zuvorn mit etzlichen schmeheschriften gegeneinander geubt. Begeren demnach mit gnaden, soviel euch des bewust, uns auch gutwillig zu vorstendigen. Schicken euch hieneben widerumb eynen brief an eweren son, welchen ir yhm bey zufelliger potschaft ubersenden wollet. Daran thut yr uns zu genedigem gefallen yhn gnaden widerumb zu erkennen, und haben euch solchs auf ewer schreyben genediger meynung uhn antwort nicht vorhalten wollen. Datum Konigspergk ut supra.

Commissio Principis propria
Hieronymus.

a) *sequitur expunctum*: unsern diener auf dissmal gantz eylentz von uns abgefertiget, haben wir euch darumb

1) *Dorothea*.

2) *Franciscus I.*

3) *Henricus*.

4) *Philippus*.

Albertus dux in Prussia

Andreae a Górká, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo generali,

abbate Landensi (in Ląd) aliqua bona sua prope Gedanum sita vendere volente, rogat, ut efficere studeat, quo eiusmodi bona Achatius Czema, castellanus Gedanensis, prae aliis emere possit.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 466v-467v.

An den jungen herren von Posenn, den XIII Januarii.

Belangt etliche gutter, dy dem abt von Lindaw¹⁾ gehorig, welche hart bey Dantzick ligen, zu vorkaufen willens etc.^{a)}.

^{b)}Grossmechtiger und edler, besonder, geliepter freundt, bruder und gefatter.

Nach vnschung Gottis genaden und aller seligen wolhart kan ich E.Ht. fruntlichen ^{c)}unvormelt nit lassen, das mir angezeygt und furgebracht worden, wie der abt von Lindaw etliche gutter, welche hart bey Dantzick ligen, zu vorkaufen willens. Weyl dan der edel und ernvhest mein besonder geliepter ehr Achazius Czeme, danzker castellan etc., dieselbigen^{d)} (in anmerckung, das sie im nit ungelegen) gern zu sich kaufen wolt, und daneben mir bewust, das gedachter ehr Czeme E.Ht. und mir^{e)} yhe und alwegen gern gedient, dasselb auch hinfuro wol^{f)} thun kan, so will E.Ht. ich gantz freuntlichen gebeten haben, dieselb wollen umb meynetwillen gonstglichen verfurderen helfen, damit vil gemelter ehr Czeme vor eynem andern zu solchem kauf mocht gelassen werden, wie ich dan nit zweyfel, E.Ht. sich umb meynetwillen gutwillig hierinnen erzeygen werden. Das will ich umb E.Ht. widerumb gantz freuntlichen beschulden. So wirts one zweyfel ehegenanter ehr Czeme mit seinen vleissigen diensten umb dieselb zu beschulden nit unterlassen. Bevilh E.Ht. hiemit dem genadenreychen schutz des Almechtigen, mich aber derselben aufs freuntlichst. Datum Konigspergk, den XIII Januarii anno etc. im XLI.

Von Gots gnaden Albrecht etc.

An den iungen hern von Possen etc.

a) *in margine*: diese copey ist yn dem brande hinweg khommen.

b)-c) *in ms. bis scriptum etiam manu praecedentis amanuensis.*

d) *sequiutr expunctum*: gern

e) *sequitur expunctum*: gern dienen

f) *supra lineam.*

g) *in folio separato*: copia an den jungen hern von Bosen in hern Czemen sachen den 14. Januarii 1541.

1) *Ląd (Landa monasterium).*

Albertus dux in Prussia

Erasmus Eustachio, canonico Vilnensi, parocho et teloneatori Caunensi, pro Ioanne Feierabent, cive Cnipaviensi, intercedit et rogat, ut sibi aliquot lastae salis in Lithuania a regii telonei praefectis detentae restituantur et servus, qui eiusmodi sal versus Rosienie (Rossaynen) vehere debebat, in carcerem coniectus liberetur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 471-472.

N. 1897.

E Regio Monte, 4.II.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, exercituum R.P. capitaneo, pro subdito regio Vinaldo (Winult) Pfunff, cive Gedanensi, cui propter debitum quoddam cum Stanislaο Husshin res est, intercedit et rogat, ut causam eius sibi commendatam habeat atque efficiat, quo iustitiam indilatam consequi possit.

(*Latine*)

(*Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162*).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 472-473.

N. 1898.

E Regio Monte, 7.II.1541.

Albertus dux in Prussia

« *capitaneo Grodnocensi* »

pro Henrico Felckner (vel Falckner), cive Posnaniensi, cui in Grodno (?) (Grauden) debita quaedam exstant, intercedit et orat, ut ei in hoc negotio opera sua ita adsit, « quo debitum a suis debitoribus Iudaeis consequatur ».

(*Latine*)

(*Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162*).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 473-475.

N. 1899.

E Regio Monte, 9.II.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

instat, ut rex oratores suos in Imperium mittat, qui omnem moveant lapidem, ut imperiale bannum contra se et subditos suos latum citius abrogetur vel saltem suspendatur; transmittit exemplar responsi magistri Ordinis Theutonicorum, imperatori et ordinibus Imperii dati; de absentia sua in conventu regundis finibus instituto se excusat.

(*In Ostpr. Fol deest*).

Conc., HBA, B, K. 1161.

Durchleuchtigster, grosmechtigster konig.

Eueren Ko.Mt. sein meine underthenige, gehorsame und freuntwillige dienst in alweg bevor.

Gnediger und freuntlicher, lieber her und ohem.

Ich setz in keinen zweiffel, E.Ko.Mt. werden aus ires gesandten, des edlen und ernvesten Stanisslaus Matzieffski etc. einbringen, wes auf desselben werbung von wegen der acht, darin ich und mein land und leuth durch das keyserliche camergericht declarirt bin, nach vielfeltiger arbeit und langem verzugk^o verhandelt und ausgericht ist worden, genugsamen bericht gnediglichen angehört, verstanden und eingenommen haben. Nun thun ich mich gegen E.Ko.Mt. irer gnedigsten erzeigung,

die mit abfertigung gedachts ires gesanten mir, sampt meinen landen und leuten, zu gnaden und gutem gescheen, underthenigis freuntlichs vleiss bedancken und erkhen mich schuldig, solchs umb E.Ko.Mt. nach meinem hochstem vermogen undertheniglich zu verdienen. Ich khann aber hiebei E.Ko.Mt. gehorsamer meinung nicht bergen, das mir mein gesandter, rath und cemerer, der ernvest^{b)} Cristoff von Creytzen, welchen ich dieser handlung halben auch uff gehaltenen reichstag zu meinen verwanten, hern und freunden E.Ko.Mt. selbst gnedigem rathe nach gefertigt, uff sein ankunfft jungst verflossener tage eingebracht hat, wiewol gemeine stende des Heiligen Romischen Reichs nach key.mt.¹⁾ bevelch uff gedachts E.Ko.Mt. gesandten werbung und die suplication ezlicher meiner hern und freunde ir gutbeduncken alles inhalts beiliger abschrift bemelten decrets, mit^{c)} A signirt^{d)} (aus^{e)} dem teutzschen ins latein transferirt^{f)} meinem gesandten aus der keyserlichen canzlei zugestellt und folgens durch die meinen aus dem teutzschen ins latein transferirt) verfast ^{c)}und geschlossen, das doch solchs^{d)} durch key.mt. ires eilenth abzugs halben nicht hat mogen expedirt werden, und aber kein zweifel gewest, wo ir key.mt. nicht in eil, wie bescheen, aufbrochen und verruokht, ir key.mt. wurden die und andere hendel, so nach unerledigt vorplieben, gnedigistes expedirt haben. So aber dennoch vermog meins gesanten bericht key.mt. rath^{e)} und^{f)} secretarien, hern^{e)} Johann Obernburger^{f)}, durch ezlicher hinderlassenen churfursten und fursten rethe nach key.mt. und der stende abschiedt bei key.mt. umb weitere expedition aller unerledigten hendel, daruf die gedachten stende ir gutbeduncken geschlossen, ader das solchs ro.ko.mt.²⁾ zu thun von key.mt. auferlegt wurde, bevolhen worden, und dieser handel nu mehr so weit gebracht, das auch die stende des Heiligen Romischen Reichs, an welche solche sachen durch key.mt. zuvor alwegen verschoben worden, nicht ungewogen, noch einicher mangel bei inen disfals vormerckht. So wil meins underthenigen erachtens E.Ko.Mt., auch mein und meiner landt nodturft erfordern, das bei romischer key. und ko.mt. umb entliche expedition embsige anregung gethann werde. Ist demnach an E.Ko.Mt. mein underthenige hochfreuntliche bith, dieselb geruchen, in gnedigster betrachtung, das durch solche wege der sachen⁸⁾ am ersten mag abgeholfen und alle gefhar und beschwerung leichtlich verhutt werden, bei ro.key. und ko.mt. umb entliche expedition dieses obgemelten handels anzuregen, wie dann uff meins gesanten anregen durch den hochgebornen fursten, meinen freuntlichen lieben vettern, herren Jochimen margrafen zu Brandenburg, churfursten, und vor ^{c)}andern hoher embsiger vleiss E.Ko.Mt., der loblichen Cron Polenn zu ehren und freuntlichem willen, mir und meinen landen und leuten zu gutem gegenwertiglich ist furgewendt, desgleichen ^{d)}hernochmals bei der romischen ko.mt. schriftliche erinnerung vermog beigeschickter copei desselben schreibens, mit B gezeichnet, bescheen, und nichtminder die ro.key.mt. desshalb auch^{b)} vleissig zu ersuchen, sein l. sich freuntlich erbotten hat.

E.Ko.Mt. mag ich hieneben auch schuldiger undertheniger pflicht nach nicht bergen, das das gegentheil, der teutzschmeister³⁾, uff die werbung E.Ko.Mt. gesanten, auch die oberurte suplication meiner hern und freunt in beigeschicktem decret vorbleibt, ezliche gegenschriften seiner vormeinten gerechtigkeit wider E.Ko.Mt. und mich key.mt. und den reichsstenden ubergeben, welche mein gesandter zu sich erlangt und mitgebracht hat, die^{c)} ich auch aus dem teutzschen ins latein habe

transferiren lassen und E.Ko.Mt. hiebei, mit L signirt, undertheniglichen ubersende^d). Weil aber solche handlung teutzsch und vast viel, bin ich in arbeit, dieselbig ins latein transferiren zu lassen und alsdann E.Ko.Mt. mit dem ersten zu uberschicken, sich irer notdurft daraus haben zu ersehen und verner^l) darinn zu schliessen, und bin der underthenigen zuversicht, wann der handel der reichsstende gut beduncken nach durch key.mt. also ratificirt oder expedirt wirdt, E.Ko.Mt. werden sich daruff und gegen in ansehng irer hohen gerechtigkeit und wie hart dennoch dieselb von dem teutzschen meister in seinen ubergeben schriften angezogen des^c) irigen anzunemen und zu vorwilligen wissen^d) gefast^e) zu machen wissen^f), damit derselb meister^k) von seinem unbillichen und^l) beschwerlichen^m) angeben und forderung abgewendt, ich und mein landt und leut, auch E.Ko.Mt. vielfeltiger gnediger vertroestung nach, daran^c) ich dan gar nicht zweifel^d), in rhu und fried gesezt vordretten und gehandhabtⁿ) mogen werden. Das^c) ich aber diese schrift und ubersendung angezeigts handels nicht ehr an E.Ko.Mt. habe mogen gelangen lassen, ist aus furfallender vorhinderung meiner reise zu dem angesetzten grenitztage, und das der handel hat mussen transferirt werden, hergeflossen. Undertheniglichen bittendt, E.Ko.Mt. wolten mich hierinne gnediglich und freuntlich entschuldigt haben^d), wolt ich E.Ko.Mt., der ich sampt irem ganzen hochloblichen koniglichen hause gotlicher almechtigkeit in aller gluckseligen wolfart zu fristen getreulichen thu bevelhen, gehorsamer undertheniger und freuntlicher meins nicht verhalten. Datum^o).

In folio separato alia manu: An ko.mt. zu Polan etc. die acht belangende.
Sub textu alia manu: Teutzsch wirt lateynisch registrirt den 9 Februarii.
Alia manu: Konigreich Polan 1541^{ten}.

- a) *sequitur expunctum:* auf key.mt. bevelch durch die stende des Heyligen Romischen Reich fur
- b) *sequitur expunctum:* Crey
- c)-d) *in margine.*
- e)-f) *linea subductum (expunctum?)*
- g) *sequitur expunctum:* ane E.Ko.Mt. sondern nachteil
- h) *sequitur expunctum:* auch z

- i) *sequitur expunctum:* darnach zu richten
- k) *supra lineam.*
- l)-m) *supra lineam.*
- n) *supra lineam pro expuncto:* verteidigt
- o) *sequitur expunctum:* Konigsberg
 - 1) *Carolus V.*
 - 2) *Ferdinandus I.*
 - 3) *Valterus a Cronberg.*

N. 1900.

E Regio Monte, 12.II.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, exercituum R.P. capitaneo, Melchiorem Kannacher, supremi burggravii sui filium, commendat, ut eum inter aulae suae servitores suscipiat, ubi « non tantum linguam Polonicam addiscere, sed et nobilissimas virtutes, mores aulicos egregiaque facta videre atque experiri commode possit ».

(Schedula: De rebus Hungaricis et Regina ibi Isabella).

Cfr. El. XXXVI, N. 661.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 475-478.

Pro filio Burggraffii, Melchiore Cannacher, ut eum in camerae suae servitorem suscipiat.

Nobilis ac Generosus, fidelis nobis dilectus Martinus Cannacher,

Supremus noster Burggravius, humiliter nobis indicavit, posteaquam Deus omnipotens sibi ex mera gratia aliquot filios concessisset, eos libenter eiusmodi praeclaris ac nobilibus virtutibus educari se peroptare, quo iam linguarum gnari atque periti facilius nobis, patriae reliquisque Principibus atque Dominis inservire atque sibi ipsis inde aeternam laudem comparare queant. Porro cum ex illis filium suum Melchiorem, praesentium ostensorem literarum, propter praeclarissimam famam nostramque mutuam benevolentiam ac amicitiam, quam inter nos Vestramque Illustrem Magnificentiam initam scit, nullibi libentius quam apud eandem esse mallet, ea inductus spe atque fiducia, quod ibi non tantum linguam Polonicam addiscere, sed et nobilissimas virtutes, mores aulicos egregiaque facta videre atque experiri commode possit, summis humillimisque nos oravit precibus, ut eundem Illustri Magnificentiae Vestrae literis commendare precibusque nostris offerre conaremur. Quandoquidem igitur supra nominatus Burggravius nobis iam diu fideliter servierit seque in isto servitio (quemadmodum alias ubique) honestissimum praeclarissimumque gesserit, adeo etiam, ut eum omni clementia merito amplectamur eumque ac suos promotos videamus, nos etiam pro nostra persona libenter velimus, ut praedictus eius filius, quo postea nobis commodius inservire posset, sermonis Polonici cognitionem hauriret, inclitae Poloniae Coronae usus ac civilitatem addiceret. Quae omnia nostro iudicio Illustri Magnificentiae serviens, facilius quam alias consequi potest. Amice oramus, Illustritas Vestra velit in singularem benevolentiam nostri saepe iam nominatum Melchiorem Canacher, nostri Burggravii filium, praesentium ostensorem literarum, habere commendatum eumque in servitorem camerae suae suscipere, subinde ablegare, honestissimis quibusque rebus ac virtutibus et iis denique omnibus, ad quae Illustritas Vestra eum idoneum senserit, adhibere. Faciet in hoc Illustris Magnificentia Vestra nobis gratissimum et nostrum Burggravium omnesque suos sibi ad omnia obsequia devinctissimos reddet.

Cedula

De rebus Hungaricis et Regina ibi Isabella.

Illustrem quoque Magnificentiam Vestram scire facimus nos eiusdem, Wiewiorcka, XVI Decembris praeteriti quadragesimi anni datas, accepisse atque ex iisdem Illustris Magnificentiae Vestrae animum benignum atque propensum et summam benevolentiam intellexisse, pro quibus omnibus Illustri Magnificentiae Vestrae gratias agimus maximas. Porro illa excusatione propter respondendi moram opus prorsus non fuisset, possumus namque conicere et scimus Illustrem Magnificentiam Vestram aliis et maioribus etiam rebus occupatam. Quod vero Illustris Magnificentia Vestra denotat sibi consilium nostrum de rebus Hungaricis probari, quidquid in hoc est factum, Illustris Magnificentia Vestra merito propter consanguinitatem innatamque amicitiam factum existimabit. In illis tamen cum non parvae, quae nos sane plurimum commovent, mutationes inveniantur, prorsus non dubitamus Illustrem Magnificentiam Vestram, tanquam prudentem ac circumspectum Dominum, ea consilia rationesque adhibituram, quo imminenti malo, quantum Deus omnipotens gratiae concesserit, succurratur. Nam nostro iudicio, si communis et hereditarius christicolarum hostis, Turca, vi irrueret atque Hungaros ita errantes ac inter se dissentientes deprehenderet, veremur, ne more solito fidem non servaret eaque Serenissimae Laudatissimaeque Reginae Isabellae vi-

duae, Dominae, consanguineae atque sorori nostrae charissimae, exhiberet, quae Sacrae ipsius Maiestati non tantum in praeiudicium ac periculum corporis, sed et animae (quod omen Deus benigne avertat) vergere possent. Oramus itaque, Illustris Magnificentia Vestra nos interdum de rebus Hungaricis certiores reddere velit, ut cum Maiestate Reginali propter ipsius prosperum foelicemque rerum successum (quem ipsi Deus benigne concedat) gaudere ac propter mala (quae idem prohibeat) contristari queamus. Nobis certe auditu iucundius nihil esset, quam experiri ipsius Maiestatem ac Vestram Illustritatem Magnificam totamque denique eiusdem domum omnibus in rebus et corporis et animae prosperrima fortuna summaque semper foelicitate frui. Ad haec Illustris Magnificentia Vestra nos apud omnes Regias Maiestates, prout eadem benigne nobis pollicita est, nosque clementer speramus, nihil prorsus dubitamus, promovere velit. Quae omnia egregia merita inque nos collata beneficia erga Illustritatem Magnificam Vestram (quam nunc Deo Optimo Maximo commendamus atque in Nestoreos usque annos foelicem vivere peroptamus) summa semper benevolentia recompensare propensi erimus. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Burggravii.
Christophorus Sangner.

N. 1901.

E Regio Monte, 12.II.1541.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Radziwiłł, capitaneo Samogitiae,
subditum suum, litterarum exhibitorem, cum quibusdam subditis eius
propter equum sibi ereptum negotium habentem, commendat et orat,
ut ei iustitia indilata administretur.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, f. 479.

N. 1902.

E Regio Monte, 15.II.1541.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae
nomine subditorum suorum districtuum Ragnetensis et Thilsensis queritur
de viis ex Samogitia in eosdem districtus interdictis et rogat, ut
rex eiusmodi innovationem, perpetuis et confirmatis contractibus re-
pugnantem, abrogare velit.*

Cfr. El. XXX, N. 227.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 480-482.

Ad Regem Poloniae, XV Februarii.
De interdictis viis ex Samagithia ad districtus Rangnicensem et Tylsensem.
Serenissime Rex, Domine Clementissime.
Indicarunt mihi fideles mei subditi ac praecipue hi, qui in districtibus meis Tylsensi scilicet et Rangnicensi existunt, et gravi cum que-

rela conquesti sunt, quomodo omnes antiquae et usitatae viae ex Samagithia in praedictos districtus meos Rangnicensem et Tylsensensem sint prohibita, nec cuiquam permittatur ex Maiestatis Vestrae subditis negotiationem suam in praefatis districtibus et civitate nostra Tylseni exercere, unde etiam mei in Samogythiam cum rebus ac mercibus suis proficisci per Maiestatis Vestrae Regiae tenentarios impediuntur. Quae omnia cum perpetuis initis contractibus ac foederibus, in quibus clare continetur, quod utrique parti libera esse debeat negotiatio, magnopere adversari videantur, non sperabo id Maiestatis Vestrae Regiae iussu, consilio aut consensu factum esse. Proinde Maiestatem Vestram Regiam summis humillimisque oro precibus, eadem dignetur innovationem hanc, in praeiudicium et damnum subditorum meorum non modicum necnon adversus initos perpetuos contractus institutam, clementer infringere et abrogare, sicuti Maiestatem Vestram Regiam cum aequitatis tum bonae vicinitatis gratia facturam non dubito. Ego vicissim daturus sum operam, ut me talem erga Maiestatem Vestram Regiam exhibere queam, qualem deceat Principem phasallum sanguineque iunctum. His Maiestatem Vestram Regiam, quam Deo Optimo Maximo commendo, diu foeliciter vivere atque valere exopto. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.
Hieronymus.

N. 1903.

E Regio Monte, 15.II.1541.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Chelmensi, R.P. vicecancellario, pro Ioanne Nimpsch (Nymptz) cive Regiomontano, ratione nonnullorum debitorum causam habentem adversus Iudaeum quendam, Aaron Basko dictum, intercedit et rogat, ut causam eius regi commendet, quo debita sua exstantia a praefato Iudaeo consequi possit.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 479-480.

N. 1904.

E Regio Monte, 28.II.1541.

Albertus dux in Prussia

episcopo Chelmensi [Samueli Maciejowski]

rogat, ut negotia sua et subditorum suorum apud regem promoveat. (Schedula: orat, ut apud regem instet, quo legati propter proscriptionem ad Comitata Imperii mittantur).

(Adest conc. Latinum totius epistolae, HBA, B, K. 1162, conc. Latinum schedulae, HBA, B, K. 1162, conc. Germanicum schedulae, HBA, B, K. 1161).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 482-486.

Ad Episcopum Chelmensem, ultima Februarii.

Petit, sua negotia apud Serenissimam Maiestatem Regiam promoveri velit.

Reverendam Paternitatem Vestram ignorare nolumus, nos propter quaedam gravamina et damna, quae subditis nostris inferuntur, ad Sacram Regiam Maiestatem Poloniae, Dominum et avunculum nostrum clementissimum, scripsisse, sicuti procul dubio Reverenda Paternitas Vestra ex eisdem literis et transmissis libellis rem omnem clarius percipiet atque intelliget. Et quamvis huiusmodi aliaque negotia plane inviti ad Maiestatem ipsius Regiam perscribamus, tamen ob summam subditorum nostrorum necessitatem urgentesque causas praetermittere hoc tempore nequivimus, quin de his Maiestatem ipsius Regiam certiorum redderemus. Proinde cum Reverendae Paternitatis Vestrae fides atque integritas nobis sit cognita, ut etiam de illius erga nos studio atque benevolentia nihil dubitare nos oporteat, rogamus Reverendam Paternitatem Vestram precibus, ut illa negotia nostra nostrorumque subditorum apud praefatam Regiam Maiestatem diligenter promovere tantumque efficere velit, quo et id, quod petimus, ratione aequitatis ac iustitiae obtinere et hic subditus noster, praesentium lator, iustitiam indilatam consequi possit, sicuti Reverendam Paternitatem Vestram facturam non dubitamus. Nos dabimus operam, ut eidem vicissim amanter gratificari queamus. Quae bene foeliciterque valeat. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.

Hieronymus.

Cedula

Petit apud Regiam Maiestatem ^{a)}instare, ut ad ^{b)}haec Comicia iam presencia legati propter proscriptionem mittantur.

Ac quamvis Reverenda Paternitas Vestra ex singulari amicitia ac benevolentia literis suis elapso tempore nobis significarit, Sacram Maiestatem Regiam Poloniae, Dominum nostrum clementissimum etc., ad nostras subditas, amicas ac necessarias petitiones ad Romanam Caesarem Maiestatem¹⁾ propter causam proscriptionis, in qua nos nostrisque fideles subditi non sine insigni molestia, cura et anxietate versamur, literas dedisse, quas praesertim propter singularem amorem ac amicitiam, qua Caesaria et Regia Poloniae Maiestates coniunctae sunt, dignum effectum sortiri, bonum quiddam operari ac in magna aestimatione haberi speramus caelare tamen Reverendam Paternitatem Vestram minime possumus, nos a quibusdam nostris Dominis ac amicis id spei consequutos esse, quod si Sacra Maiestas Regia Poloniae in istis iam Comitibus rem Prutenicam propter proscriptionem severe ac graviter ageret, illi iam facile consuli posse. Posteaquam vero ista Comititia tam diu prorogentur et usque ad festum Paschae fortasse protrahi possent, praeterea quidam Electores ac Principes Dominica Reminiscere primum ad celebrandum Comititia abituri sint, adeo ut in ablegandis eo legatis a Sacra Maiestate Regia nihil adhuc neglectum, ad haec Sacrae Maiestati Regiae in istis negociis non minus quam nobis nostrisque fidelibus subditis situm sit, insuper etiam ea iam media auxilio Dei Omnipotentis inter Romanam Caesarem, Hungaricam et Polonicam Regias Maiestates ea sane media

cernantur, quod Sacra Maiestas Regia Poloniae eiusdemque inclita Corona in ipsorum terrarumque Prutenicarum comodum id (arrepta hac occasione) uno, quod aiunt, digito, sicut et alias similiter accidisse scimus, consequi possint, quod postea, aliis forsitan praetensis dilacionibus, omnibus viribus adeptu esset difficillimum.

Quapropter amice petimus, Reverenda Paternitas Vestra propter summam, quam eidem tribuimus fidem, pro singulari et innata sua sapientia haec omnia Sacrae Maiestati Regiae, omnibus consideratis circumstantiis, offerre, ad animum revocare ac nostro, causae gravitatis oblataeque occasionis nomine apud eandem diligentibus praecibus instare velit, quo Sacra ipsius Maiestas Regia suos legatos ad Comitum praesentia mittat negociumque hoc severa diligentia agat, firmiter namque^{c)} speramus aliquid boni ac fructiferi inde sequuturum. Isti namque legati, pro nostro iudicio, non tantum ad hoc prodessent, ut apud Sacram Caesaream Maiestatem pro abroganda odiosissima proscriptione instarent, sed etiam ut si quis apud nominatam Caesaream Maiestatem, Regni ordines ac civitates (sicut fieri potest, ac quilibet ibi suam experiri salutem praesumitur) contra Prussiam quid mali inceptare aut etiam bella movere conaretur, id isti iuxta alios nostros Dominos ac bonos amicos averterent. Ac quamvis ad talem legationem nullum praescribere sciamus, bene considerantes Sacram Maiestatem Regiam eiusdemque sapientissimos praeclarissimosque consiliarios in hoc, ut in aliis, medium tenere posse optimum, ex singulari tamen ac bono affectu Nobilem ac Generosum, sincere nobis dilectum, Sacrae Maiestatis Regiae Pincernam Thomam Sobotsky, ad hoc gerendum munus denominare incidit.

Cum igitur hoc ita Reverendae Paternitati Vestrae (cuius iudicio omnem rem committimus) placuerit, potest eadem Sacrae Maiestati Regiae nominatum Dominum Thomam vel etiam alium, quo eo minores sumptus fiant, indicare, tantummodo sedulo orantes, Reverenda Paternitas Vestra se in hac causa atque eiusdem comodum (uti minime dubitamus) fautorem atque amicum exhibere, totumque denique negocium eo dirigere conari velit, quo tandem praeclare nominata Sacra Maiestas Regia Poloniae, Dominus noster clementissimus, eiusdemque inclita Corona bonam quietem et nos nostrique subditi tranquillam ac firmam pacem consequi queamus. Oramus quoque, Reverenda Paternitas Vestra nobis literarum, quas Sacra Maiestas Regia in causa proscriptionis ad Caesaream Maiestatem dedit, ac quid responsi eadem ab eadem acceperit, nobis copias mittere, ad haec quomodo quibusque mandatis proximi legati ablegentur et quodnam responsum referant, nos benigne et amice certiores reddere velit, quo res nostras commodius instituere deque eo responso omni^{d)} tempore gaudere queamus, nostro quoque subdito in sua causa auxilio esse, quo tanto facilius atque commodius responsum consequi possit. Quae omnia erga Reverendam Paternitatem Vestram (quam nunc Deo Optimo Maximo commendamus foelicissimeque vivere optamus) summa semper clementia grataque officiorum vicissitudine recompensare propensi erimus. Datae ut supra in literis.

C. S. M.

a)-b) *supra lineam.*

c) *sequitur expunctum:* firmiter namque

d) *supra lineam pro verbo expuncto.*

1) *Carolus V.*

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

rogat, ut « omnes innovationes theloneorum ac viarum in Samogythia infringantur ».

Cfr. *El. XXX NN. 227, 229.*

(*Adest conc. Germanicum, HBA, B, K. 1161*).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 486-488.

Ad Regem Poloniae, I Marci.

Propter vias prohibitas ex Samogithia in Prussiam et negotiationes. Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Quamvis Maiestatem Vestram Regiam ob laudatissimam suam se-nectutem tam variis negotiis onerare atque molestare merito me continere deberem, eamque potissimam ob causam, quod non ita diu ad Maiestatem Vestram Regiam scripserim illique indicaverim, quomodo omnes antiquae et usitatae viae ex Samogithia in districtus meos Rangnicensem videlicet ac Tylsensem adversus initos contractus ac perpetua foedera sint prohibita, nec cuiquam permittatur ex Maiestatis Vestrae Regiae subditis negotiationem suam in praefatis districtibus ac civitate mea Tylsensi exercere etc., tum etiam illud me ab hoc proposito retinere debebat, quod plane mihi in animum induxeram huiusmodi lites et controversias usque ad inspectionem et determinationem limitum differre, quo omnes res bene discerni, exaudiri atque pro aequitate componi possent, tamen Maiestatem Vestram Regiam propter fidelium subditorum meorum, praesertim vero praesentium latoris, maxima gravamina literasque supplicatorias, sicuti Maiestas Vestra Regia ex inclusis scriptis cognoscet, hisce meis literis subdite invisere compellor. Cum autem hoc negotium tam ad Maiestatem Vestram Regiam, utpote Dominum feudi, quam me ipsum pertineat, necnon privilegiis meis, libertatibus, nihilominus etiam constitutis contractibus et longo^{a)} tempore usitatis ac receptis consuetudinibus maximopere adversari videatur, taceo quantas difficultates utriusque partis subditis adferre possit, Maiestatem Vestram Regiam humillimis oro precibus, ut pro regia sua benignitate ac clementia, sicuti non dubito, miserorum subditorum meorum querelas et gravamina clementer exaudire, animo secum perpendere ac insuper mandare velit, quo omnia illa, quae subditis meis praeter omnem aequitatem abrepta sunt, illis restituantur ac omnes innovationes theloneorum ac viarum in Samogythia infringantur, necnon curare^{b)} clementer dignetur, ut Maiestatis Vestrae Regiae subditi sese iuxta tenorem contractuum exhibeant, antiquis ac usitatis viis utantur, nihilominus publica negotia utrimque libere ac sine impedimento, prout semper antea fuit, permittantur^{c)}. Qua ex re non solum Maiestas Vestra Regia immortalem ac perpetuam sibi laudem conciliabit, verum etiam omnibus utriusque partis subditis magnum exinde emolumentum, commodum et bona vicinitas promanabit^{d)}. Tum et ego pro mea persona id deditissimis studiosissimisque meis obsequiis diligenter erga Maiestatem Vestram Regiam promereri conabor... Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria.

Hieronimus.

a) in ms longe

b) sequitur expunctum: velit

c) in ms. permittatur

d) correctum ex: promanabat

N. 1906.

E Regio Monte, 1.III.1541.

*Dorothea dux in Prussia
Bonae reginae Poloniae*

*litteras eius, « materni amoris ac clementiae » plenas, sibi per Fabianum
Czema allatas esse nuntiat et pro benevolentia erga se materna gra-
tias agit.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 488-489.

N. 1907.

E Regio Monte, 1.III.1541.

Albertus dux in Prussia

Thomae Sobocki, tribuno Lanciensi,

*de iniuriis et damnis subditis suis districtus Cleipodiensis a Samogitis
illatis.*

(3 schedulae et 4 alia annexa de eadem re).

HBA, Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 469v-471.

An Thommassen Sobotzky, den 1 Marci.

Vonwegen der mymelischen gebrechen und irrungen mit den Sa-
maythenn, welche handlung ko.mt. lateynisch, und herrn Sobotzki
deutzsch zugeschickt worden, wie folget.

Unsern grus und genedigen willen zuvorn.

Erentvhester, lieber, besonder.

Zu erhaltung unserer privilegien hoheit und gerechtigkeit auch auss
schuldigen lehenpflichtigen und unserer getrewen, lieben getrewen un-
derthanen hoher, bedencklicher beschwerung und unvorbeygehentlicher
ehaft an hochberurte ko.mt. zu Polan etc., unsern genedigen herrn vatern
und freuntlichen, lieben ohemen (wiewol wir seyne ko.mt. yhn dem und
andern viel lieber verschoenen wolten) schreyben und untherdenigs
freuntlichs vleiss bitten thut, habt yr allenthalben yhnligent notturftiglich
zu vermercken. Dieweyl wir uns aber zu ewer person (wie oben bemelt)
aller wolmeynenden dinstlichen verfurderung yhn unsern hendeln und
sonsten getrosten, auch dasselbig mit dem werck erspurt und wir nicht
derhalben also hoch und vleissig bey hochgemelter ko.mt. ansuchen
und bitten, das es unserer person dermassen gantz zu entgegen, sonder
dorumb das zwuschen beyderseyts herschaft und underthan gutter
willen und zuvorsichtige nachparschaft zu frommen wolfarth, gedey und
aufwachs der unthersassen erhalten werden möcht. Dan wir auf unsern
theyl die gleicheit mit neuigkeit der strassen, ungewönlicher zölle und
andern auch wol halten können, welche wir doch noch zur zeit hochge-
dachter ko.mt. zun ehren und underdenigem gefallen nachlassen. Als
ist unser genedigis ansynnen, yr wollet unsere schriften von gegenwertig-
em zaigern, unserm underthanen, empfaen und ahn ire gepurende
örter vortstellen. Desgleichen des armen mans muntlichen bericht, wes
fur beschwerung ime fur seyne person, geschwiegen der andern begegnet,
auf das yr euch umb dest besser darnach zu richten und ko.mt., auch

andern hohen stenden, do yr es fur gerathen achten thut, anzuzeigen, anhören, auch alsdan darauf, soviel an euch ist, verfürdern helfen, domit solche bedrenckliche vorhaben, den privilegiis, aufgerichteten vortegen und lang hergeprachten ublichen gepreuchen, auch wes dem mehr anhengig ist, zuentgegen, genediglichen abgeschafft und guthe nachparschaft erhalten und gepflantz werden möcht. Das sein wir umb ewer person yhn allen genaden zu beschulden.

Ferner übersenden wir ewerer person aus genedigen willen, domit wir derselben gewogen, wes auf dem christlichen gespreche zu Wormbs allenthalben vorgelaufen und warauf es beruhent pleiben ist. Der almechtige, ewige, guthige Gott geruhe, zu ehren seynes heyligen namens und trost gemeyner christenheytt, das angefangene heylsame werck zu seligem, begertem ende zu prengen. Und wollet uns (darnach wir dan nicht wenig verlangen und gleichsfals oben auch begert haben), wie es doch yn den Reichen Hungernn, furnemblich mit der löblichen, frommen konigin¹⁾ daselbst itzundt gelegen, soviel zimblich, gutwillige mittheylung thun. Das gereicht uns von euch zu sonderem wolgefallen in wircklicher genediger erzaigung widerumb zu beschulden. Datum Konigksperg ut supra, anno etc. 41.

1) *Isabella.*

Cedula

Auch werdet yr inligent zu vornemen haben, wes uns der erbar unser heuptman zur Memel, rathe und lieber getrewer Ernnt von Rechenbergk, in verfertigung dieser schriften vonwegen etzlicher beschwerung, so inen von den zolnern zu Polangen zugefugt, angezeigt. Und wiewol wir niemandts gern beschuldigen oder angeben, und den unsern allaint den gliempf oder glauben beymessen wolten, so befindet man doch yhn der that, das man sich immer unpilliger weiss zu den unsern noetigen thut. Wes solchs die lenge fur gutte freunth und nachparschaft geperen wirt, habt yr, als ein verstendiger, leichlich zu ermessen. Allaint unser gutlichs synnen ist, ir wollet bey ko.mt.en zu Pollan etc. vleissig verfürdern helfen, domit solche und dergleichen unpillige, mutwillige vornemen abgeschafft werden und die irrungen beiderseits biss zur besichtigung der grenitzen yhn ruhe pleiben möchten, do dann yhm grundt zu befinden, wer recht oder unrecht etc. Dann wir uns unsers theils, one rhumb, jho gern aller nachparlichen gepur erzaigen und halten wolten. Und sein dieses und anders umb euch yhn gnaden zu erkennen urputigk. Datum ut ihn literis.

Alia cedula

Auch fugen wir euch yhn gnaden zu vornemen, das wir ko.mt. zu Polann etc. durch den erwirdigen yn Gott, unsern besondern lieben freundt, herrn Samuelenn Matzieffski, bischofen zu Chelmen und undercantzlern etc., eyne legation auf den itzigen reichstag vonwegen der preusischen handlung und beschwerlichen acht, damit wir sampt unsern getrewen, lieben underthanen nit mit geringer beschwerung behafft, abzufertigen, underthaniglichen anlangen und bitten lassen, und in solchem unserm ahn s.l. gethanen schreyben ewer person zu solcher potschaft vorgeschlagen. Wo nun das an euch gesonnen, bitten wir genediglich, euch des uns zu dinst gutwillig zu undertfhahen und unser

bestes, wie wir daran gar nicht zweyfelden, helfen getrewlichen furdern. Das wollen wir mit genedigem willen umb euch jder zeit zu beschulden mitnichte vorgessen. Datum ut in literis.

Commissio Principis propria
idem audivit legere.
Secretarius.

Cedula

Memelische gebrechen unde irrungen mit den Samaythen; welche handlung ko.mt. lateynisch und herrn Thome Sobotzki deutzsch zugeschickt worden 1 Marcii, wie nacheinander folget. Item der heuptman zur Memel schreybet vonwegen der beclagung, so die zur Mymel vor ko.mt. zolner zu Palangen etc.

Durchlauchtigster, hochgeborner furst, genedigster herre.

E.F.G. synndt meyne willige, undterthenigliche dinste allezeit erpotten.

Genedigster herre. Es haben mich E.F.G. underthanen, burger zur Mymel, kleglich ersucht und angezeigt, als nemlich Martenn Hyllebrandt, Benedict Lauthe, Nickell Kistmacher, wie das sie kegen der Heyligen Beil^{a)} und ahn andere umligende orther mehr daselbst ire gutther zu manen und zu fordern gereyset seyndt, und als sie ire geschefte aussgerichtet haben, synt sy widderumb nach der Mymmel gezogen, und als sie gen Polangenn gekhommen, sindt yn die zolner des orts aufm fuss nachgezogen. Myt den haben sich dy obgenanten burger umb den zoll vortragen und sindt von inen also gutlich gescheiden, als sie sagen. Nachdem als sie aber von Polangenn von ihnen gescheiden sint, haben yhn dy obgedachten zolner nochgeeylet und sie unterwegen unvorsehens uberfallen. Yhn diss haben sich dy obgenanten E.F.G. underthanen zur gegenwer gesatzet und ire widdersacher von sich gehalten myt Gotts hulfe, das sie sich kegen Gott bedancken. Was nu solch yr furnhemen erregen mocht, gebe ich E.F.G. undertheniglich zu bedencken. Derhalben ich solchs E.F.G. nicht hab wissen zu bergen uber ander nachgriffische hendel mehr, so ich E.F.G. vorhin angezeigt habe. Es ist auch, genedigster her und furst, ahn mich kommen ein schmitt, alhie zur Mymel gesessen, der auch alhie erb und eygen hat, welchs yhm vorbrennen ist. Derselb zeigt an, wye ehr willens sey yhn Eyfflanndt zu zihen, als er dann neulich darin gewesen ist, dohin er sich auch yn dinst vorsprochen habe. Nu weiss ich yhm solchs and ewer furstlichen gnaden wissen und willen nicht zu erleuben, bittende E.F.G. wolten myr auf solchs genedigen bericht und antwort geben, dann ich E.F.G. yn gutwilligem gehorsam mich schuldigh erkhenne^{b)}. Datum Mymel, den 24 Februarii anno etc. 41.

E.F.G. williger underthan
Ernst von Rechenberg.

a) *lectio incerta.*

b) *verbum correctum.*

Annexum I (ff 472-472v):

Dem heuptman von Platlen.

Man hat die brief nicht annemen wollen.

Edler und erenvhester her heuptman, besonder gunstiger freundt und nachper.

Noch irbittung meyner freuntlichen dinste, hab ich Ewer Herlickeyt

unangezeigt nicht khonnen lassen, das vor dreyen tagen etliche meynes genedigsten herrn und disses meyns ampts underthanen zu myr gekhommen sein und sich fur myr beclaget, das inen yr pferde und schlitten, darzu was sie darauf gehabt, als sie zu iren freunden auss diesem ampt yn Samaytenn seindt gefaren yhn Ewerer Herlickeyt vorwaltung, auf freier strassen genommen, wie Ewere Herlickeyt derselben namen hie eingelegt, darzu was eynem idern genomen ist, auss demselbigen zeddel zu vornhemen haben. Und nochdem myr dan dy ursach, worumb solchs gescheen, gantz unbewust, hab ich nicht mögen underlassen, Ewerer Herlickeyt und sunderlich, dieweyl solche handlung itzundt yn kurtzer zeit zu uberfluss yn derselbigen E. Herlickeyt vorwaltung vorgenommen und gebraucht ist wurden, dy auch denn dermassen yn dy lenge schwerlich zu dulden, hie mit dieser meyer schrift zu vorschein, freuntlich bittende mich ins erste durch ewer schreyben zu vorstendigen, ob dasselbige auss E. Herlickeyt befelich gescheen sey, oder nicht, oder was doch dy ursach sey, dass dieselben meynes genedigsten herrn armen leuthe also geplaget werden und inen das ire genomen wirt, wiewol myr durch ungewisse und fliegende rede zu oren gekhommen, das man willens sey dy strassen uff Polangenn und Crotingenn apzuthuen, welche vor langer zeit gebraucht ist und vor die stroessen^{a)} gehalten und dyselbige itzunt off Garssdenn wollen umbweyssen, darumb ich dann und meyns ampts underthanen gar keynen wissen tragen, auch solchs apzuschaffen nicht gewarnet byn. Wil myr derwegen solchs vornhemen wes schwerfallen und yhm fall obgleich dy strassen uns gelegt wurden, so kunde doch, meyns erachtens, den armen underthanen von beiden seyten, dy do zu einander faren, welde diss nicht myt byllickeyt verboten werden. Dieweyl solchs vileichte auf den koufman und die do kaufmansgutter furen gelegt wirt, wyl derhalben beschliesslich E. Herlickeyt gantz freuntlich gebeten haben und auch disse beschwernis, dy meins genedigsten herrn underthanen in ewerer vorwaltung begegnet, hiemit clageweise vormelden, das einsehen zu haben und vorfuegen, das die armen leuthe das ire widder bekhommen mochten. Wo solchs nicht geschege, muste ich dennoch ferners rathes bey furstlicher durchlaichtigkeyt suchen, wy die armen leuthe widder zu dem iren mochten kommen und myr dasselbige, das ich dem al so nochdencken wil, nicht vorargen. Das hab ich E.Ht., dere ich sunsten zu dienen und dorneben allen gutten, nochparlichen willen zu erzeigen geneigt, gutter wolmeynung nicht wissen zu bergen. Bitte hirauf von E.Ht. derselbigs schriftlichs antwort. Datum Mummel 21 Januarii anno 41.

a) sequitur expunctum: stroessen

Annexum II (ff. 473-474v):

Memmelische gebrechen, die sich von den Samaytenn an der grentzen haben zugetragen:

Ahm 26. Septembris anno 1539 seyndt etlich Samaytenn und dy zolner von Polangen alhie ins amt zweyen kaufleuthen von Konigspergk genandt Jermuschze und Jheronymus, welche vihe yhn Kawerlanndt gekauft, nachgevolget und zu Nymmersatt in das dorff mit VII pferden eingefallen, den kaufleuthen yr vihe, villeich des vorbey getryben zols halben, darzu auch des krugers doselbigst und anderer nochper meher zu nehemen willens auch angeschlagen wegkzutreyben. Als haben sich

dy armen leuthe aldo müssen zur kegenwere setzen und seyndt zwu personen daruber gewundt worden. Den Samaytenn hot man zwee pferde genommen, welche sie vorkaufen haben und seyndt alhie zu schlosse gebracht, darneben auch diese hernach vorzeichneten gewere, ein tatarischen bogen, drey flitschen, II alte settel und II spisse. Solchs alles ist noch alhie vorhanden etc.

Dieses eynfals halben habe ich dem von Plattel geschrieben, aber diss antwort erlangt, das er solchs nicht gerne gehort, das sich dyselbigen zolner also uber dy grenitz begeben, er aber hab keyne macht uber sie gehabt. Derwegen die straeff und die sache an den obirsten in grossfurstenthumb Littawenn ken Kawenn, der do wegen koniglicher maiestat den zoll eynmanet, vorweyset. Und dieweyl biss her nyemandts die pferde angesprochen, habe ichs auch also bleyben lassen, gewartet, ob sich jemandts zu den pferden finden hat wellen.

Am 8. tage Octobris des 39 jores haben etliche underthanen aus dem ampt Schwieckssno, ungeferlich bey zwey schock gutte schneidrhonen uber dy grenitzen im mymlischen ampt niddergehawhen, darneben auch etzliche grenitzboeme mit umbgehawen. Und wie ich noch vorflossener zeit den landtknecht aussgeschicket habe dy grenitz zu bereyten, hat er eynen Samaytenn mitsampt seynem knechte doselbigst, wo das holtz zuvor gefellet, gefunden und eynen von den beyden gefangen, der ander ist entlaufen, und balde ein haufen an sich gehangen, dem landtknecht nachgeeylet biss weyt ins Mimliche und ime kegen den gefangenen abgeschlagen. Das ich mich dan kegen dem amptman beclaget habe und rechts uber die mutwilligen begert, hat aber nichts dor noch volgen wellen.

Baldt ym winter dornach haben sie eynem armen manne eynen haufen hew alhie aussen ampt von seyner wisen genommen. Welche wyse gelegen ist an der grenitzen, die auch dan dieser arme man und seyn vater vor langen jaren, wie die leuthe berichten, geruiglich genossen und gebraucht hat. Haben itzundt auch das hew, so er hewer dorauf gemacht, zum theyl vorbrandt, derwegen ich zweymal dem amptman von Schweichssno geschrieben. Hat er myr die briefe allewege widder geschickt und nicht annemen wellen auss der ursachen, das sie deutzsch geschrieben, so ich doch nicht allewege eynen, der latteynischen schreyben oder lesen kan, bey mir habe oder so baldt bekhommen kann.

Item an etlichen orthen haben die Samaytenn als aussem ampt Schwyeckschno uber dy grenitz ubergepfluet, welchs ich selbst besichtiget, do ich dann das getreide habe nemen und dasselbige yhn eyne sichere stelle biss auf weytern bescheidt legen laessen, und hab solchs dorumb gethan. ^{a)}Diueyl mein bitten, so ich derwegen gethan^{b)} und auch thuen hab laessen, beym gegentheyl nichts angesehen gewest und ich auch gemeroket, das sie immer auf iren vornehmen also beharret, damit die sache eins zu reden khomme, habe ich das getreide dermassen lassen und wegfuhren und auch das ich inen den besitz dadurch habe weren wollen, des^{c)} sie sich dann hernach nicht zu rumen hetten.

Durchleuchtigster, hochgeborner furst, genedigster herr. Wir armen E.F.G. underthanen, vorbrandten und vorterbten burger des stedtleins Memmell, geben E.F.G. in aller underthenigkeyt mit hochstem vormogenden vleiss gantz dinstlich und unvordrossen und demutiglich zu erkennen, das E.F.G. underthanen im stedtlein und gantzem gebieth, dorneben der gemeyne raisende kaufman, sich fur und fur teglich und

hochlich tut beclagen der uncristischen und grausamen beschwerung, so ynen von den zolnern in Samaytenn durch benehmung, beraubung und plunderung uff den strassen, so auss Eyfflanndt und auss Samaytenn uff die Memel und yhn Preussen gehen, zugefugert wirt. Bitten derhalben E.F.G. in aller demut gantz vleissigk und underthenigklich, Ewer F.G. wolten doch dasselb yhn gnaden behertzen und ein solch ungehort, unchristlich furnhemem an konigliche mt. von Polann etc., unserm alleredigisten herrn schriftlich und furbittende gelangen lassen, domit er doch ander, fuglicher, lynder weyse, wege und gestalt gewinnen mocht, das E.F.G. underthanen, desgleichen der reyssende, gemeyne man, wer der ymmer sey, eynes solchen bosen furnhemens, wie obgedocht, furten nicht durft gewertigk, sunder anyck seyn etc. Wollen wir ein sulchs zum aller underthenickeyt mit hochst vormogendem fleiss umb E.F.G. zu vordienen pflichtwillich gantz unvordrossen befunden werden etc. E.F.G.

gantz willige underthenigen und gehorssame
burgermeister, rathmanne
und gantz gemeyn des sted-
leins Mummel.

a)-b) in ms bis scriptum.
c) sequitur expunctum: sich

Annexum III (ff. 475-475v):

Was dy Samayten den armen leuthen Mymlisch gebits auf freier strassen genommen haben etc.

Am Montage nach Michaelis des 40 jares haben dy zolner eynem burger von der Mymmel, Hennigk genant, dys hernach vorzeichnete genommen uff eyner freyen straessen zu Crotingen im dorffe in Sameyten gehorigk: Erstlich XXVII oxsen, das stuck vor VI Marck gerechnet, item VI pferde zustendigk etlichen eddeleuthen auss Kawerlandt, alle semptlich uff 24 stock littawisch gerechnet, item eyn schaf vor XV gr und X kappannen und VII sthock an barem gelde. Das alles haben dieselbigen paure den angesachten und gewonlichen zoll zu Crotingen gegeben und apelegt. Ist noch daruber solchs dem armen manne begegnet, das ym das seyne darzu genommen ist. Desselbigen schadens hat sych der heuptman angenommen und vor den gutten man geschriben, inen auch^{a)} auf den wegk bracht noch Kouven zu demselben obersten zolner myt dem bryffe zu reissen, hadt aber nichts aussgericht. Was der heuptman dessfals halben geschriben, ist hie dy copie vorhanden, dergleichen auch desselbigen zolners eyn reissisch andtwort, noch unerbrachen.

Am 20 Januar des 41 jares haben dy samaytyschen zolner dissen hirnach vorzeichneten armen leuten des mymlischen gebits zugethanen, wy folget, genommen etc.

Greger Preussen genommen eyn pferth mit eynem schlitten, eyne werhe, eyn fyltzmantel, eyn kussen, wolle von eynem shaeff, 8 th ruben, II ehemer etc.

Thomas von der Schmeltze, dem ist zu Polangen genommen: eyn pferdt mit eynem schlitten, eyn th korn, eyn th garsten, eyn seyten specks, eyn rock, eyn beyl und eyn stront garn.

Benedicten von Ekitten, dem ist genommen bey Garssden: eyn pfert mith eynem schlitten, eyn beyl, eyn schin ross, th habern, th saltz, eyn speyss, II brote.

Petrasshen von Ekytten, dem ist bey Garssden genommen worden: eyn pfer mit eynem schlitten, eyn fylzmantel, eyn sack mit garn und spis.

Wes auf^{b)} disses alles der heuptman an den von Plattes geschriben, veisset solchs die beigelegt copia, den briff hot der heuptman dem nehesten landtknecht im Plattelischen zufertigen laessen. Derselbig hot den briff keynesweges annhemen wollen, sundern denselbigen zweymal dem heuptman keyn der Mymel zu uns geschicket etc.

Annexum IV (ff. 476-477v):

Meyn freuntliche und willige dienste neben wunschung gotlicher gnaden und aller glucksseligen wolfart in allewege zuvorn.

Werdiger, edler und hochgeachter, besonderer gunstiger herr und freundt.

Des durchlauchtigsten, hochgebornen fursten und herrn, herrn Albrechten, marggrafen zu Brandenburgk in Preussen, hertzen etc., meyns gnedigisten herrn und dich, meins vorwaltenden ampts unterdaner hie zuentgegen, Hennigk genant, zur Mymmel wonhafftighk, hat mir klagender weiss furgebracht: Nachdem derselbige in Kawerlandt etzliche ochssen, nemlich 27 stuck gekaufet, dem auch dieselbigen eddelleute, von welchen er dass vhihe erkaufet hot 6 pauren solch vihe und was er neben dem von inen gekauft, den gewonlichen landtwegk uff Cratingen zu nacht der Mymmel zufuren und treyben geliegen, do dan auch Ewerer Herligkeyt diener gewest seyn und zoll von allem dem, wass zeiger yn Kawerlandt erkaufet und die offentliche lange her gebrauchte landtstraes getriben und gefuret zu genugen von denselbigen leuten empfangen. Uber dass alles, nach endrichtung des zols, haben dieselbigen euern diner zeigern wider alle billigkeit, dass vihe, wy abgemelt, nemlich 27 stuck, dass stuck 6 Mark preussisch gerechnet, darzu 6 pferde, welche derselbe kawrisch eddeleut pauren zustendigk, dysse dan itzund auf 24 stock rechnen, zudem auch ein schaeff und etliche kappawnen und 3 schock an barem gelde an Mantage noch Michaelis jungst vorschinen genommen, anzeigende konigliche maiestate wolde dieselbige strasse verboten haben, das och als fort mher niemandt dieselbigen strassen reyssen solde. Und umb des willen solde zeiger, dass alles wass er dazumal zu Crotingen gehabt, vorlustigk seyn, welchs ich mich meynem weynigen vorstande nach, wess unfreuntlich und unnocherlich gehandelt oder vorgenommen seyn duncken laess, wywol ich im frisschen an dieselbigen ewere diener geschriben hadt, doch solch mein schreiben und bitten bey inen nichts fruchtbares geschafft. Und obwol konigliche maiestat solch gebot haben lossen ausghen, das dan auch konigliche mt. in demselben landt zu thun wol macht haben, were dennoch von den umbligenden der grenitz emptern aufs wenigste eyn vorwarung zu thun vonnoten gewest, zu vorhutung des und eines andern schadens beiderseyts underthanen, von welchem vorbot ich noch meins ampts underthanen nichts gewust haben, wy dan och solch offentlich und am tage ist. Ursach, wy zeigern am Montag noch Michaelis dasselbige vihe gesampt andern zu Crotingen von Ewerer Herligkeyt dienern angehalten und genomen ist, hot man am folgenden Donnerstagk darnoch allerst koniglich mt. underthanen des orts dasselbige mandat publiceret und an tag gebracht. Ob solchs vonhemen von Ewerer Herligkeyt bescheen, haben Ewer Herligkeit auss dissen bericht leichtlich zu urteylen. Derhalben dieweyl mir dan dier gutte

man hochgedachts meins gnedigisten herrn und meins ampts underthan solchs geklaget und gebeten, inen an Ewer Herligkeyt zu vorschreiben, solchen ime begegneten gewalt, das mal noch auf unverbotener strassen von E. Herligkeyt dienern widerfaren, hiemit zu vormelden, habe ich ime solchs von ampts wegen nicht wissen apzushaen. Und ist an E. Herligkeyt meyn freuntliches bitten, eyn gunstigs eynshehen zu haben, dass dissem armen manne vor seynen schaden, dan ime E. Herligkeit dienere zugefugt, genugssamer abtrag geschee, das ich mich danne zu E. Herligkeit als dem liphaber der gerechtigkeit als getroste zu gescheen, auss dem bedencken das zeiger zu solchem keyn ursach gegeben hot, darneben auch dinstlich bittende, denselbigen E. Herligkeit dienern, so auf den zol des orts warten, eynzubinden und zu befelen, das man dy armen leute, m.g.h. underthanen, mit solchen und anderer unbilligen beschwerung nicht beladen wolde. Was aber konigliche maiestat publiceret mandat were, wolde ich die armen leute auch dafur warnen. Thet jemant was daruber, mochte ehr seyn ebn thener stehen. Dies^{a)} hab ich Euch, dem ich zu dienen geneygt, gutter meynung nicht mogen vorhalten. Datum Mymmell etc.

Sequitur epistola de die 24. Februarii 1541, ff. 477v-478v, identica ac schedula III, cum hac solummodo differentia, quod post verba: Ernst von Rechenberg sequitur: hauptman zur Mymmell.

a) in. ms. Dich

N. 1908.

E Regio Monte, 3.III.1541.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Nibschütz, secretario regio, pro bonis consiliis sibi datis gratias agit; vestes aulicas et salarium ei pro servitio debitum Toruniam vel Cracoviam ei missum iri nuntiat. (Sequitur schedula I.L. Decio inscripta: vestes aulicas et salarium annuum (100 fl.) Nicolao Nibschütz persolvendum transmittit).

(Germanice)

Cfr. El. XLVIII, NN. 399, 400.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 478v-479.

N. 1909.

E Regio Monte, 5.III.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Behm (Bhem), medico et armifactori Cracoviensi, rogat, ut ad curandos nonnullos subditos suos Regium Montem venire velit; omnes impensas cum eiusmodi itinere coniunctas in se insumere pollicetur.

(Germanice)

Cfr. El. XLV, N. 35.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 479-479v.

N. 1910.

E Regio Monte, 7.III.1541.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Nibschitz, secretario regio,
vestes aulicas pro 1540 et annum salarium pro 1541 anno a I.L. Decio
eum repetere posse significat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, f. 480.

N. 1911

E Regio Monte, 7.III.1541.

Albertus dux in Prussia

*Iosto Ludovico Decio, monetæ regiae præfecto,
pro vino et argento sibi suppeditato gratias agit et rogat, ut raedariis,
qui ea advexerunt, debitam pecuniam persolvat.*

(Germanice)

Cfr. El. XLVIII, N. 396 (schedula).

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 480v-481.

N. 1912.

E Regio Monte, 8.III.1541.

Albertus dux in Prussia

*Gabriel Tarto, vexillifero Sandomiriensi,
catechismum dono mittit; novitates, praesertim ex Hungaria, sibi signifi-
ficari iubet.*

Cfr. El. XLIII, N. 11.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 481-481v.

An Gabriel Terlenn, den 8 Marcii.

Unsern grus und gnedigen willen zuvorn.

Edler und ervester, besonder lieber.

Nachdem ir uns vor der zeit umb einen catechismum dinstlichen
angelanget, als hetten wir euch denselben vor langst gern zugefertigt.
Es hat aber an dem, dass wir dergleichen keynen bekommen konen,
gemangelt. Tun euch gleichwol hiemit einen uberssenden, von Gott dem
Almechtigen wunsche, dass ir durch desselben gnedige verliehung vleissig
und dermassen darin studiret, das es zu Gotts ehre, euer sehlen heyls-
seligkeit und wolfarth gedeie, mit angeheften gnedigen begeren, wo waiss
von neuen zeitungen, sunderlichs auss Hungern, vorhanden, ir wollet unss
derselbigen guten willig mitteilhaftig machen. Das seyn wir umb euch
als den wir mit gnaden gewogen, genediglich zu erkennen geneigt. Da-
tum Konigsbergk, den 8 Marcii anno 1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

annui salarii sui (4000 florenorum) ante Paschatis festum sibi numerandi regem admonet et rogat, ut talis pecunia in manus Iosti Ludovici Decii persolvatur; petit praeterea, ut rex Achatio Jordan, castellano Zarnoviensi, commissionem suam tradat, quo vina aliasque merces sibi per Iostum Ludovicum Decium ex Hungaria mittendas sine telonei solutione transvehi permittat.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 491-492.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

rogat, ut edictum regium de viis prohibitis, in praeiudicium subditorum suorum Ragnetensium et Thilsensium latum et contractibus contrarium, abrogetur et liberae mercaturae ac negotiationes inter utriusque ditionis cives permittantur.

Cfr. El. XXX, N. 227.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162, et Germanicum, HBA, B, K. 1161).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 495-500.

De viis prohibitis atque negociationibus.

Ad Regem Poloniae, IX Marcii.

Serenissime Rex, Potentissime Monarcha, Domine Clementissime Avunculeque Pientissime.

In primis Sacrae Maiestati Vestrae Regiae debita mea obsequia animumque inserviendi promptissimum ultro citroque offero.

Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae literas, XXV Februarii datas, omni debita humilique reverentia accepi atque perlegi. In quibus eadem ad meam humilem subditamque petitionem propter prohibitarum publicarum viarum atque liberarum negociationum ^{a)}mandatum, quod in meorum subditorum^{b)} Tilsensium ac Ragnicensium praeiudicium atque contra contractus editum est, in hanc sententiam respondet, quod quicquid in hoc Sacra Maiestas Vestra Regia statuit, id de consilio ac sententia suorum consiliariorum Magni Ducatus Lithuaniae fecerit, atque id tanto minus dubitanter, quod initium eiusmodi edicta faciendi^{c)} a me profectum accepisset, cum non ita multo ante certis in locis consuetis uti itineribus, Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae homines et merces nonnullas inferre prohibuissem. Quam ob rem id edictum per Sacram Maiestatem Vestram Regiam non abrogari aequo animo ferre deberem etc. Porro non parum miror, Sacram Maiestatem Vestram Regiam eiusdemque Dominos consiliarios, propter nuda, iniqua ac forsann²⁾ etiam infensa indicata, ad edendum ac publicandum tale mandatum contra contractus etiam incitari, priusquam Sacra Maiestas Vestra Regia eiusmodi causam et ex me, tanquam eiusdem subdito, cognoverit. Mul-

tivaria tamen gravia cumulataque negocia, quibus Sacra Maiestas Vestra Regia quotidie, heu abunde ac satis semperque obruitur, potius quam Sacram Maiestatem Vestram Regiam, vel etiam eiusdem sapientissimos consiliarios, accuso, praesertim cum Sacram Maiestatem Vestram Regiam eius egregiis dotibus prae ceteris potentatibus praeditam sciam, quod eadem ad unius sermones et opiniones quid certi constituere atque decernere non soleat. Quapropter de Sacra Maiestate Vestra Regia subdite humiliterque mihi pollicebor eandem, iam rectius cognita causa meaque detecta innocentia, id mandatum abrogaturam atque id, quod ad conservandam bonam vicinitatem utriusque Ducatus pertinet, clementer facturam.

Primo, quod Sacrae Maiestati Vestrae Regiae nunciatum sit, a me istius mandati initium esse profectum, quandoquidem Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae subditos quibusdam in locis consuetis uti^{d)} itineribus, ac merces suas inferre prohibuissem, haec Sacram Maiestatem Vestram Regiam pro istius causae declaratione scire facio. Prorsus non meminisse vel recordari possum, Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae subditis rectis, consuetis veteribusque uti viis mercesque suas vehere unquam fuisse interdictum, et qui in hoc Sacram Maiestatem Vestram Regiam ita edocuit, haud adeo veritatis rationem habuit. Hoc autem factum esse confiteor. Quidam per tempus aliquod, dum opidulum in Samagithia aedificari ceptum est, Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae subditi et etiam alii quasdam novas ac insuetas vias, quae adhuc hodie^{e)} insolitae sunt, per mea deserta sternere atque eas ingredi voluerunt. Cum vero hoc non tantum contra contractum in perpetuum initum^{f)} iuramentoque confirmatum fieri (qui inter reliqua sic habet: Hoc tamen cauto, ne nova itinera aut viarum diverticula quaerant, et ut, si aliquae viae novae quaesitae essent, utrinque abrogentur et cessent; quae sanciantur propter coercenda homicidia, latrocinia, furta et rapinas, et ne thelonea utrinque defraudentur), sed mihi etiam eo in loco de meis sylvanis fructibus, ut puta melle, ligno, cinere ac reliquis multum decedere, imo ibi etiam multas spoliationes atque latrocinia accidere viderim, ad haec mei antecessores istas eo in loco vias ac quasdam alias (sicut semper usque huc viae indictae creditae et servatae sunt) poena capitis ingredi prohibuerint, ego id hoc iam tempore concedere non potui, sperans me in hoc, quandoquidem aeternus contractus perspicuis^{g)}, claris ac significantibus verbis non esse concedendum mandet, nihil commisisse, multoque minus id a me, sicut accusor, esse profectum. Praeterea ad conservandam bonam vicinitatem, ex abundanti meos subditos quotidianas suas ac necessarias negotiationes in Novo Opidulo vel etiam aliis in locis, ubicumque illis libitum fuit, exercere nunquam prohibui, exceptis tantummodo iis mercibus, quae ad me solum spectant et quibus venditis me defraudant. Quapropter qui me Sacrae Maiestati Vestrae Regiae propter hoc detulerunt, inique fecerunt. Rursum negari non potest eos, qui in Samogithiam et Lithuaniam negotiantur, non in vias quaerere, sed antiquis ac consueti uti viis. In Sacrae tamen Maiestatis Vestrae Regiae edicto istas vias ingredi prohibentur. Estque et hoc contra punctum contractus ^{a)}sic dicentis: Item liber sit transitus^{b)} et via omnibus mercatoribus et incolis terrarum Domini Ducis Prussiae cum suis mercantiis, frumentis, cuiusque conditionis vel maneriei existant, sine impedimento et angaria per terras, maria, aquas et flumina quaecumque, ascendendo in et ad terras Lithuaniae et Samagithiarum ac descendendo per terras nostras ac per ipsa flumina et aquas^{b)} usque in Ducatum

Prussiae, in navibus vacuis seu oneratis, magnis sive parvis, in perpetuum, quocumque et quotiescumque voluerint, absque aliquo arresto et impedimento cuiuscumque etc. Ad haec, quod plus est, certificor etiam, quod et nunc plane novae viae instituantur, quo sic miseri mei subditi a negotiationibus suis prorsus avocentur atque impediuntur. Neque solummodo novas vias, sed et nova thelonea stationesque inusitatas certis in locis institui accipimus, quae etiam contra contractum in hunc ibi modum sonantem cernuntur: Quas quidem merces, frumenta et res, ut praescriptum est, si praefati mercatores seu incolae terrae Prussiae, eas ducentes, vendere aut stare in aliquo locorum seu civitatum solitorum et solitarum, ad portum seu ripam praedictarum aquarum sive maris sittuatorum vel sittuatarum²⁾, voluerint, est et debet esse in ipsorum arbitrio et voluntate. Si vero vendere noluerint, possunt absque omni impedimento ire, seu ascendere vel descendere, quo eis placuerit, cum rebus praedictis, ut superius est expressum, theloneis et depositis, similiter usibus et consuetudinibus antiquis, ut infra, salvis etc. Item nec nos in Magno Ducatu nostro imponemus aliquod novum theloneum in praeiudicium ac gravamen subditorum Ducatus Prussiae etc.

Haec tamen omnia, Clementissime Rex, ubique¹⁾ fere in finibus Magni Ducatus non servantur. Quandoquidem vero iustum modum contractuum excedant atque contra manifestam eorundem literam appareant, ego vero eiusmodi, quantum ego scio, nunquam commiserim, neque hoc²⁾ de me vere dici confidam, spero Sacram Maiestatem Vestram Regiam eiusdemque ordines ac laudatissimi Magni Ducatus Lithuaniae consiliarios ista odiosa puncta contra contractus, sine dubio absque Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae^{k)} mandato instituta, clementer, regie pruden-terque consideraturos et hoc publicatum edictum inducturam, literas^{l)} ac communes mercandi atque ambulandi vias (uti olim ac semper fieri solitum est) concessuram nihilque minus demandaturam, ut in omnibus contractus serventur, quo ego, tanquam subditus propter feudum Princeps, meique miseri subditi in nostris veteribus privilegiis atque contractibus, iuramento sigillisque confirmatis, atque in reliquis etiam laudatissimis usibus tueamur atque defendamur^{m)}. Propter quae Sacram Maiestatem Vestram Regiam, tanquam Dominum mei feudi, iterum atque iterum, etiam atque etiam imploro, humiliter sperans eandem me, meos subditos atque id regium feudum in istis omnibus praedictis clementer defensuram, neque cuiuslibet odiosis magis quam aequis relationibus atque opinionibus, me inaudito, fidem regiam adhibituram. Nam ego me, Dei Omnipotentis auxilio, erga Sacram Maiestatem Regiam eiusdemque totam regiam domum talem semper geram atque exhibebo, qualem subditum atque obedientem decet Principem. Sacram Maiestatem Vestram Regiam hoc omnique tempore Deo Optimo Maximoque ac eidem me meosque subditos humiliter commendo. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.
Magister.

- a) sequitur expunctum: den
- b) in margine.
- a)-b) in margine.
- c) in ms. faciendo
- d) pro verbo expuncto superscriptum.
- e) in ms. hodiae
- f) correctum ex: innitum
- g) verbum correctum.

- h) sequitur littera expuncta.
- i) supra lineam pro verbo expuncto.
- j) sequitur expunctum: scio
- k) in ms. Vestrae
- l) error pro: liberas?
- m) in ms. defendemur
- z) sic in ms.

Albertus dux in Prussia

Bonae reginae Poloniae

ad litteras eius, quibus de retentione servitoris sui Bleszczyński querebatur, respondet et rogat, « ne tam facile... iniquis relationibus fidem adhibere... velit ».

Cfr. El. XXX, N. 226.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162, et Germanicum, HBA, B, K. 1161).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 490-492.

Serenissima Regina, Domina Clementissima.

Maiestatis Vestrae Reginalis literas, datas Vilnae in die S. Matthiae Apostoli, paucos ante dies summa ac debita reverentia accepi. Ex quibus intellexi ea, quae Maiestas Vestra Reginalis servitoris sui Bleszczyński gratia, quem eadem elapso tempore ad me cum quibusdam literis miserat, scripsit, addens adhuc, quales personas idem Maiestatis Vestrae Reginalis servitor iuxta ipsius relationem penes se in itinere tunc temporis habuerit etc., prout huiusmodi Maiestatis Vestrae Reginalis literae clarius atque prolixius in se continent. Ego vero, Serenissima Regina, primum omnium hanc causam in diversis relationibus maxima ex parte consistere intelligo facileque credo talia per Maiestatis Vestrae Reginalis servitorem ad eandem perlata esse. Verum Capitaneus meus Insterburgensis, quem hactenus in summis iuxta ac infimis rebus semper sincerum, candidum ac veri studiosum perspexi, multo aliter rem mihi narravit, de quo antea quoque Maiestatem Vestram Reginalem per literas meas certiore reddidi. Proinde Maiestatem Vestram Reginalem summis humillimisque oro precibus, ne tam facile his aut similibus iniquis relationibus fidem adhibere, sed tanquam clementissima iustissimaque Regina alteram quoque partem clementer ac benigne audire ac id postmodum, quod aequum et iustum fuerit, iudicare velit.

Cum autem id, sicuti in prioribus meis scriptis indicavi, non in Maiestatis Vestrae Reginalis contumeliam aut praeiudicium, sed ideo maxime quod insuetas ac prohibitas vias ingressus incognitus plane fuerit, accedentibusque aliis circumstantiis, factum sit, firmam spem concipio Maiestatem Vestram Reginalem hoc nomine vel mihi vel praefato Capitaneo meo nequaquam indignaturam, sed ob veram hanc meam ac saepedicti Capitanei mei relationem clementer contentam fore.

Quod si Maiestas Vestra Reginalis in eo sic acquiescere nollet ac consultum iudicaret (quod necessarium haud arbitror) hac in causa veritatem inquirere, adversum me non erit, ut hoc negotium utrimque, tam a regiis, quam etiam meis commissariis, qui ad inspectionem ac reformationem limum deputati fuerint, plene cognoscatur ac diiudicetur. Hoc namque modo clare apparebit, cui plus fidei sit tribuendum. Subdite sperans Maiestatem Vestram Reginalem his gratiose contentam fore atque ob exiguam hanc causam nullam sibi ipsi difficultatem imposituram aut sese ob id in aliis multo gravioribus regiis negotiis impedituram esse. Quae omnia Maiestati Vestrae Reginali subdita ac debita

obedientia ad literas suas responsi loco significare volui... Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis
Hieronimus.

N. 1916.

E Regio Monte, 9.III.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Radziwiłł, capitaneo Samogitiae, exempla litterarum, de gravibus negotiis ad Magnum Ducatum Lithuaniae et ditiones suas pertinentibus ad regem scriptarum, mittit et rogat, ut huiusmodi negotia apud regem promoveat.

(Sub textu: Mutatis mutandis ad Samuelem Mazciewsski, Episcopum Chelmemsem).

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 493-494.

N. 1917.

E Regio Monte, 9.III.1541.

Albertus dux in Prussia

Petro Opaliński, curiae regiae magistro, litteras eius, Vilnae, 15.I. ad se datas, se accepisse nuntiat; pro communicatis novitatibus et pro benevolentia erga se singulari gratias agit; rogat, ut negotia sua apud regem et reginam promovere velit.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 663.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 501-502.

N. 1918.

E Regio Monte, 9.III.1541.

Albertus dux in Prussia

Thomae Sobocki, tribuno Lancieniensi, litteras regi et proceribus Magni Ducatus Lithuaniae destinatas mittit et rogat, ut eas in debita loca pervenire faciat.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 485-485v.

An Thomas Sobotzki, den 9 Marcii.

Dieselben zugeschickten briff gnediglich ansinnen und entlich zuvorsicht, dieselbn ko.mt. und den andern loblichen stenden des grosfurstentumbs Litheen verfugen zu helfen, nicht besweren wolte etc.

Unsern gunstigen grus und willen zuvorn.

Ernvhester, besonder, lieber.

In sonderm vertrauen wollen wir euch nicht vorhalten, dass unss disse tage hendel, unss und unssere undterthanen betreffendt, die wir

ahn ko.mt. zu Polan schriftlich gelangen^{a)} zu lassen vorursacht, vorgefallen. Dieweile wir unss aber zu euch vor andern aller gutwilligen forderung vorsehen, zudieme auch wissen, ir unss in allem zimlichen gern dienet, haben wir euch solche hendel schriftlichen neben derselben capieren, darauss ir euch solcher allenthalben nach nottruft^{z)} zu ersehen und unss darinnen umb sovil fruchtbarer dinen moget, ferner an gepurend orth zu vorschaffen, hiemit bey dem erbarn, unsern lieben besondern Ambrosio Kurczbachenn zuzuschicken nicht undterlassen wollet^{b)}, gnediglich sinnend, ir wollet solche, wie bemelt, zur stelle zu vorschaffen und daneben unserer gnedigen zuvorsicht nach bey ko.mt. und den andern loblichen stenden des grossfurstenthumbs Lithenn vorfordern zu helfen, damit unss und den unseren ahn unseren gerechtigkeiten nichts entzogen, besonder bey demjenigen, wess beschworen, verbriff und besigelt, erhalten werden, auch das auf diss alles von iren ko.mt. ein furdilich andtwerth erlangen nicht beschweren. Das wollen wir hinwider umb euch in allen gnaden zu beschulden in^{c)} kein vorgessn stellen. Datum Konigsbergk, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.
Princeps audivit legere.

a) *verbum correctum.*
b) *verbum correctum.*

c) *sequitur expunctum: g*
z) *sic in ms.*

Cedula

Und abwol im schreiben vormelt, dass wir euch alle brief zuschickten, so haben wir uns doch in abfertigung dess boten bedacht und der konigin¹⁾ brief bemeltem Kurtzbachen zu uberantworten bevolhen. Datum ut in literis.

1) *Bona.*

N. 1919.

E Regio Monte, 10.III.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

de iudiciali causa inter Stanislaum Lawski, vexilliferum Varsaviensem, et Ioannem Krosten, capitaneum Ioannisburgensem, intercedente et de appellatione ab eodem Lawski a iudicio ducali ad regem temerarie interposita et nulla.

Cfr. El. XXX, N. 224.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162, et Germanicum, HBA, B, K. 1161).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 502-507.

Ad Regem Poloniae, X Marcii.

Recenset causam sive casum inter Stanislaum Lavski et Iohannem Krosten iudicialiter existentem.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Regia Vestra Maiestas suum per cubicularium haud ita nuper patentes quasdam literas offerre mihi iussit, e quibus accepi Nobilem Sta-

nislauum Lavski^{a)}, Vexilliferum Warschowiensem, coram Regia Vestra Maiestate exposuisse, quasi ipse in causa iudiciali, inter ipsum tanquam actorem et Nobilem Ioannem Krosten, meum Johansburgensem officialem, tanquam reum, ventilata, appellationem interposuisset. Sed quia Regia Vestra Maiestas ex oblati scriptis assequi non potuerit, an appellationi delatum fuerit necne, velit Regia Vestra Maiestas totum negocium, tam appellationem scilicet quam principalem in se causam, in generales Regni Comitias seponere et differre. Quare Regiae Vestrae Maiestati tocius causae statum compertum fieri cupiens, paucis expedire animus est, quo veritas ipsa in Regiae Vestrae Maiestatis informationem elucescat clariorque reddatur. Causa autem sic se habet.

Officialis Johansburgensis quondam nomine meo possidet villam, quae non meo, sed praedecessorum tempore, a quodam Andrea sine heredibus defuncto ad patronum et feudi Dominum devoluta est, quam et officiales illic quam plures pluribusque annis quiete possederunt. Eam iam villam praedictus Stanislaus Lavski invasit, ius se habere praetendens^{b)}. Sed quia illud non probabat, intromisit se officialis, sui ratione officii et muneris defendendi, adversus praenominatum Lavski iudicarium in certamen, et hoc meis coram et aulicis et consistorialibus consiliariis, quibus de iusticia administranda ultra commune eorum iuramentum, quo omnibus ex aequo obstringuntur, etiam privatim commiseram, quo mea minime inspecta persona, quod iustum et aequum esset, decernerent. Publico igitur consistorio instituto, utraque parte etiam audita, actor Lavski in suae causae et iuris praetendentis defensionem testes produxit, contra quos et reus reprobatorios quoque suos testes inducendos cum citatione eorundem, iuris ordine ei minime denegandos, impetravit. Cumque denominatus alter iudicii dies iam instaret adessentque testes a reo quoque producendi, staretque reus et hoc instanter peteret, advenit actor Lavski saepenominatus et non obstante, quod sententia nulla erat lata, nec iusto gravamine ullo impulsus, ad Regiam Vestram Maiestatem provocavit, appellationem interponendo. Quam tamen consiliarii mei absque scitu meo nec admittere nec recusare volebant, sed petebant actorem, ne gravaretur reditum meum expectare, quem brevi sperarent (eram enim in propinquo), quo finale tandem ei responsum super petitione sua auctoritate mea ei dare possent, sperareque se dicebant ac neququam diffidere, quin ea decernerem admitteremque, quae aequitas suaderet et quae cum Regiae Vestrae Maiestatis sublimitate compactis^{c)} privilegiis ac huius terrae consuetudine et iuribus communibus non pugnarent.

Super quo Stanislaus nihil aliud respondit, nisi se apud interpositam suam appellationem persistere velle, sicque forum declinando et respuendo discessit. Certum et indubitatum iam est, Rex Clementissime, posito casu, quod si pleno iure ad Regiam Vestram Maiestatem appellare potuisset, non obstante foedere et feudali mihi semel privilegio donato, ordo tamen publicae aequitatis et iuris communis hoc postulasset, ut decisionem meam et responsum consiliariorum expectasset, apostolos debito tempore petivisset; impetratis aut denegatis tandem his, tempus fuisset Regiam Vestram Maiestatem, tanquam in secunda instantia, requirendi. Ex quo autem hoc non fecit, sed temerarie^{d)} meo a consistorio abscessit, forum citra causam medio in iudicio declinavit, nec finale decretum super petitione sua expectare voluit, spero Regiam Vestram Maiestatem cognituram simul et iudicaturam temerariam ac

inordinatam illam appellationem esse de iure nullam, et hoc quantum ad formalia appellationis. Cupio, et Regia Vestra Maiestas gracie simul et cum his ad memoriam revocare dignetur articulum, inter Regiam Vestram Maiestatem, laudabilem Poloniae Coronam et me confoederationis proxima incorporatum, qui sic incipit: Si autem aliquis, qui de sorte Principum non fuerit, contra Ducem in Prussia quampiam actionem instituere vellet, hoc coram vasallis Principis facere debet, quos Princeps ipse collocare et ad iudicium obligare tenebitur. Si quis autem occasione huiusmodi iudiciorum in casibus, personam Principis attingentibus, sibi iniuriam factam aut se esse gravatum existimaret, poterit ad consiliarios, quos Regia Maiestas et Dux in Prussia quotannis ad festum Sancti Francisci, cum id necessitas exegerit, Marienburgum mittere debent, provocare, qui super ea re cognoscendi potestatem habere debent. Quod si ibi cognitum fuerit appellationem provocantis frivolum et illicitam esse, debet pars illa iudicio decem marcas prutenales pendere et parti adversae ad refundendum expensas litis et ad parendum priori sententiae obligata esse etc. Ad hoc Lavski optime novit, annuos villae praedictae redditus mediante officiali mihi cedere, ideoque facile persuadere sibi poterit, non cum altero ei negotium esse. Indicatque est ei et in processu causae luculentissime declaratum, officialem Johansburgensem meo nomine secum certaturum, nec tegebatur hoc, quod quocumque iudicio contendere sibi animus esse, eundem minime detrectandum putaret partem adversam.

Si igitur Lavski ullo modo coram meis consiliariis iuri stare se gravatum praesensisset, iusto ordine a principio proposuisset, et ea tunc, quae causae derationis^{a)} leges decernunt, ei prorsus patuissent. Sed quia nihil recusare se indicavit, nec ullam ei molestiam illatam conqueri poterit, sed temerarie apertam et claram nostrae confoederationis contra literam ad Regiam Vestram Maiestatem appellavit, superflua sua informatione inquietando, peto igitur ac debita submissione humillime supplico, quatenus Regia Vestra Maiestas saepe praenominatum Lavski inducere et auctoritate regia compellere dignetur, quod si iure mecum contendere velit, id agat, prosequatur et quaerat iuxta formam nostrae confoederationi convenientem, illic enim opportuna ei responsione obviabitur decretoque iudicii illius et sententiae tandem, ut aequum est, stabo. Ampla fiducia est sperans, Regia Vestra Maiestas, inspecta hac mea petitione, publicae considerationi proxime accedens, sic negotium curare et instituere gracie conabitur, quo opinativa et inordinata huiusmodi appellatio aboleatur casseturque, cavereque, ne proximas ad Comitias, ubi vigore contractus ob illam causam comparere non teneor, ullo modo vocer, nec huiusmodi infractione molestiam novam et gravamen mihi imponere pacietur, sed e diverso potius mea sibi iura cordi esse declarare et ut clementissimus Dominus et Rex feudalibus me apud ea, quemadmodum tenetur, defendere et manutenere dignabitur. Quod et erga Regiam Vestram Maiestatem propensissimo animo perpetuis meis et indefessis semper obsequiis promereri studebo. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii
Christianus.

a) *verbum correctum.*
b) *sequitur expunctum: q*
c) *verbum correctum.*

d) *correctum ex: temeraria*
7) *sic in ms.*

N. 1920.

E Regio Monte, 16.III.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

Ioannem Tobięski, servitorem suum, commendat et rogat, ut eum rex inter satellites suos adnumerare velit.

(In margine: Mutatis mutandis ad Regem iuniorem).

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 230.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 507-509.

N. 1921.

E Regio Monte, 16.III.1541.

Albertus dux in Prussia

Petro Opaliński, curiae regiae magistro,

Ioannem Tobięski, aulicum suum, commendat, ut numero satellitum regis Poloniae iunioris cooptari possit.

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 230.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 509-510.

N. 1922.

E Regio Monte, 28.III.1541.

Albertus dux in Prussia

episcopo Chelmensi [Samueli Maciejowski]

pro studio in negotiis suis, praesertim in causa proscriptionis, apud regem promovendis adhibito ei fratrique eius [Stanislao] gratias agit; servitia offert.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 673.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 510-511.

N. 1923.

E Regio Monte, 16.III.1541.

Albertus dux in Prussia

episcopo Samogitiae [Venceslao Wierzbicki]

Melchiorum a Lessgewang, cubicularium suum, negotia quaedam sua ei propositurum, ad eum mittit et rogat, ut ipsum audiat et nomine suo loquenti plenam et indubitam fidem adhibeat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 511-512.

N. 1924.

E Regio Monte, 29.III.1541.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori
equum dono mittit rogatque, ut eum clementer accipere velit.*

(*Latine*)

Cfr. *El. XXX*, N. 232.

(*Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162*).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 512-513.

N. 1925.

E Regio Monte, 30.III.1541.

Albertus dux in Prussia

*Thomae Sobocki, tribuno Lanciensi,
pro litteris, quibus destinatae erant redditis, gratias agit et nuntiat se
responsum regium ad litteras suas de iniuriis a Samogitis subditis
suis illatis accepisse; pro communicatis novitatibus gratias agit; ipse
nova scribit.*

(*Schedula: nova ex Ratisbona et ex Hungaria sibi recens missa signi-
ficat*).

Cfr. *El. XXXVI*, N. 672.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 481v-484v.

An Thomas Sobotzken, den 30^{en} Marcii.

Erstlich m.g. herr ihm seines gutten willens bedancket, doneben anzeigt einen andtwert von ko.w. uberkommen vonwegen der iniuria, die Samayten seinen unterdanen erzeiget, das auf weitere vorkundigung vorschoben etc.

Unsern grus und genedigen willen zuvorn.

Ernvester, besonder, lieber.

Wir haben euer schreiben am datum haltende den 14 Marcii gegenwertigs jares zu henden bekamen und daraus fur das erste mit gnaden, das ir unser schrifte an gepurende orther uberandtworth, doneben euren moglichen fleis, domit unser begeren in dem, wes wir euch auferlegt, verpracht, vorgewant, sampt forneren inhalt vermarck etc. Warauf thun wir unss gegen euch solcher bemuhung gantz gnediglich bedancken und wollen euch darauf gnediger wolmeynung nicht pergen, das wir von ko.mt. zu Polan, unsern gnedigen herrn und freuntlichen, liben ohemen eyn andtwort vonwegen der beschwerung, welche unsern underthanen von den samaytischen und andern umbligeden gepieten einwonern unpilligerweis zugefugt, erlangt, darinnen ko.mt. hochgedacht den handel biss auf weitere erkundigung, damit wir wol zufriden, verschaben. Nichts minder aber ist unser gnedige begeren, ir wollet nachmals disfals, wie wir gar nicht zweifeln, zu gelegener zeit vleissig zu sollicitieren keyn beschwer haben. Wie ir aber ferner meldet, das ir die schickung ko.mt. auf den angesatzten reichstagk gegen Regensburgk von unserntwegen gern auf euch genommen, aber der beschwe-

rung halben eurs dinsts und ampt, so ir an ko. have vorwalthet, hab es nicht gescheen khannen, mit weiterer einfurung. Nun sein wir mit solcher eurer entschuldung gantz wol zufriden und ist unss vil lieber, wiewol unss, wo es jhe zu langen herkennen daran von euch zu sonderm gefallen beschehen, das ir bey ko.mt. pleybet, weder zu solcher legation gepraucht weret worden, angesehen weil wir vormercken (dass wir euch auch mit gnaden gern gonnen), dass hochgedachte ko.mt. keinen andern, den sie liber auf sich zu warthen in irer schwachheit gepraucht, auch ehr zu gefallen sey weder euer person habe, sinnen derhalben an euch mit gnaden, dieweile ir solche ko. gunst spuret, ir wollet demselben, wie wir gar nicht zweyfel, vleissig nachgehen, euch gegen^{b)} ko.mt. aller dinstlichen wilferigkeit beweissen. Dan wo wir selbst der geschicklichkeit weren, wolten wir in warheit, solt uns auch die hoeste fraude sein, irer ko.mt. undertheniglichen zu dienen und freuntshaft zu erzeigen nicht nachlassen.

Wir sein auch derselben ko. gnedigen gutbeduncken in unsern sachen getreulich, wie ir dan von dem erwerdigen in Gott, unserm besondern geliebten freunt, herrn Samuelen, bischofen zu Chelmen¹⁾, ferner vornhemmen werdet, nachgangen. Vorhofflich der liebe Gott werde durch ko.mt. wolmeinende ansehnliche, tapfere furderung, nichts minder unserer herrn und freunde zuthat, die sachen dem richten, damit in solcher legation wess fruchtbarlichs geschaffet.

Die angezeigten neuen zeitung haben wir zu gnedigem danok angenommen und hetten euch derselben gern widerum mitgeteylet, so ist doch itziger zeit nichts schriftwirdigs vorhanden. Alleint, das neulicher tagk schriften auss Teutschenlanden ahn unss gelangt, welche meldung gethan, das kay.mt.²⁾ bey unsern brudern und vethern in iren erblanden ein etzliche tagk, dessgleichen zu Nurembergk gewesen und itzo zu Regenspurgk gewislich sein soll, aber vom Turcken, wie euer schreiben mitpringt, nichts gedacht, abermals gnediglich begerend, wo wees weiters furfelt, unss dasselb, sovil zimlich, zu eraffnen. Daneben, dieweil dannacht von ko.mt. bissweilen vast beschwerliche schriften, wie dan itzo auch gescheen, und ir von bemelthen unsern freunth, den herrn undtercantzlern, fernern bericht zu empfaen ahn unss kommen, ir wollet doch solchs auch, wan ir bey ko.mt. seyt, nach gelegenheit abwenden und vorfurdern, dass ire mt. gegen unss sich von unsern missgonnern zu ainigen ungenaden nicht bewegen lassen, desgleichen die hitzigen gemuther lesschen und dempfen helfen, dan wir unss mit vorleihung gotlicher genaden gegen irer ko.mt. als der getreue lehensfurst und blutsverwanthe freunth aller undertheniger erzeigung und gegen menichlich unvorweisslicher gepur ahne rum beweissen wollen, euch in dem allein unsern gnedigen vortrauen nach, so wir zu euch tragen, wie wir daran gar nicht zweifeln, sunderlich aber das disser unser diener mit gnediger ko. andtwort dest schleuniger abgefertigt werde, gutwillig finden lassen. Das sein wir umb euch und die eueren, welche wir alle hiemit dem lieben Got in seinen gnadenreichen schutz bevelhen, hinwider mit aller gnedigen wirglichen woltat zu beschulden geneigt. Datum Konigsbergk, den 30 Aprilis^{*)} anno 1541.

Commissio Principis
ex relatione Secretarii.

a) sequitur expunctum: Aprilis

b) supra lineam.

*) error, recte Marcii

1) Maciejowski.

2) Carolus V.

Cedula ins Sobotzki breff.

Auch wollen wir euch gnediger meynung nicht vorhalten, das an uns in schlissung dises breiffs²⁾ von einer person itzund von Regensburgk herkommende bericht gelangt, wo der reychstag vor Ostern seynen anfanck schwerlich gewinnen werdt. Auch vormelt, dass die Turoken bey Witegrad ein kleyn stedtleyn, Walze genandt, eingenommen und dasselbig (nachdem sie die einwoner darinnen alle jemmerlich und erbermlich erwurgt) gantz und gar aussgeprent. Es sollen aber auss dem schloss desselben stedtleins etzliche hussarn gefallen seyn und in der Turcken flucht eynen wascham mit etlichen heuptleuthen gefangen haben. Welchs alles wir nicht fur gewiss, sonder wie es an unss gelangt, euch hiemit anzeigen. Datum ut in literis.

2) sic in ms.

N. 1926.

E Regio Monte, 3.IV.1541.

Albertus dux in Prussia

Thomae Sobocki, tribuno Lanciciensi,

Melchiorem Lessgewang (Leygewantz), aulicum suum, commendat et rogat, ut in expediendis quibusdam negotiis suis ei concreditis eum adiuvet.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, f. 486.

N. 1927.

E Regio Monte, 4.IV.1541.

Albertus dux in Prussia

Stanislaio Maciejowski, oratori regio ad Comitata Imperii,

ei, prout legato ad Comitata Imperii Ratisbonensia in negotio abrogandae proscriptionis a rege nominato, pro diligentia in accipiendo eiusmodi legationis munere adhibita gratias agit et instructionem suam ac alia aliqua scripta, ad hanc legationem pertinentia, mittit.

(Schedula: transmittit aliquot litteras Ioannis Dantisci ad quosdam proceres Imperii scriptas, « quo eas ad debita loca perferre possit »).

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162, et Germanicum cum dato: 3.IV.1541, HBA, B, K. 1161).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 513-530.

Ad Stanislaum Maczievski, 4 Aprilis.

Mittit instructionem seu informationem, ex qua discendum, quomodo et qualem se in Comitatis Ratisponensibus propter proscriptionem gerere debeat.

Salutem et benevolentiam nostram.

Nobilis ac Generose, sincere nobis dilecte.

Indicarunt nobis paucos ante dies per literas Sacra Regia Maiestas Poloniae, Dominus noster clementissimus et avunculus pientissimus, et

Reverendus in Christo Pater, amicus noster percharus, Dominus Samuel Episcopus Chelmensis ac Regni Poloniae Vicecancellarius, Generositatis Vestrae frater charissimus, Generositatem Vestram a Regia Sua Maiestate ad Comitata, quae Ratisponae nunc celebrantur, et ad Romanas Caesaream ac Regiam Maiestates¹⁾ cum sufficienti instructione et mandatis in causa nostra, praetensam illam adversus nos, nostras has terras ac subditos editam proscriptionem concernente, ablegatum esse, prout ex transmissa praefatae instructionis copia, quam hilari fronte perlegimus, satis clare perspicere licuit. Ex qua primum intelleximus, Sacram ipsius Regiam Maiestatem, tanquam clementissimum Regem ac Dominum feudi, nos, nostras terras ac subditos plane regie clementerque sibi commendatos habere. Quae, una cum prudentissimis laudatissimisque consiliariis suis, omnia haec negotia tanta sapientia praemeditavit verbisque ita ornavit, ut etiam quid maius addi possit, diiudicare haud facile possimus. Deinde elucet ex hoc Generositatis Vestrae fratris germani amica ac singularis quaedam in promovendis negociis nostris industria, qui non solum²⁾ apud praedictam Regiam Maiestatem eisdemque Amplissimos ordines ac consiliarios hoc nomine vehementer institit atque huiusmodi commissa regia prudenterque pro rei oportunitate sufficienter composuit, verum etiam Generositatem Vestram, utpote fratrem suum germanum, ad obeundum hoc legationis munus, quo negotia nostra hoc diligentius expedirentur, ultro obtulit. Ex quo Reverendae Paternitatis Suae immensam illam et amicam erga nos benevolentiam studiumque singulare re ipsa summe experiri ac sentire nos oportet. Quo nomine primum Sacrae Maiestati Regiae, deinde Reverendae Suae Paternitati, postremo Generositati Vestrae tamquam legato, qui hoc in se onus perquam grave recipere non recusavit, summas ac immortales agimus gratias, non omissuri, quin, divino numine adiuvante, nos pro debita nostra obedientia vicissim studiosos et obsequentes erga Sacram Regiam Maiestatem Suam exhibere atque tantam benevolentiam studiumque haud vulgare erga Reverendam Paternitatem Suam ac Generositatem Vestram studiosissimis nostris officiis amice clementerque promereri queamus, a Deo Optimo Maximo enixe praecantes optantesque, ut is pro divina sua clementia Generositatem Vestram diu salvam, foelicem ac incolumem conservare eidemque gratiam suam divinam elargiri dignetur, quo bene et pro arbitrio suo expeditis negociis, foelix atque incolumis ad suos redire et in firma ac prospera valetudine ad Nestoreos usque annos perpetuo conservari, necnon rebus his ex animi sui sententia bene confectis, clementem sibi Regem, sempiternam laudem ac gloriam acquirere possit. Amen.

Ac quia ex Sacrae Regiae Maiestatis mandato nobis praefatus Dominus Episcopus Chelmensis, amicus noster percharus Generositatisque Vestrae frater dilectus, inter reliqua scripsit, ut, si praeter regiam illam instructionem aliquid, quod addendum existimarem, in mentem nobis veniret, aut Generositas Vestra maiori declaratione rerum omnium opus haberet, id per celerem aliquem nuncium Generositati Vestrae transmittere vellemus, sicuti Reverenda Sua Paternitas nobis inter alia etiam libellum quendam, quem olim ad Reverendissimum in Christo Patrem, amicum ac fratrem nostrum charissimum, Dominum Petrum Tomcium, Episcopum Cracoviensem foelicis ac piae memoriae, instructionis forma in hoc ipso negotio misimus, in memoriam revocat etc., proinde Generositati Vestrae huiusmodi instructionem, litera A signatam, una cum maiori declaratione earum rerum, quas antea quoque ad praedictum

iam Dominum Episcopum Cracoviensem in Christo defunctum perscripsimus, his adiunctam ac litera B notatam mittimus. Et quamvis non sciamus, quid praeter illa, quae in oblata Sacrae Maiestatis Regiae instructione satis abunde enarrata atque exposita sunt, plus vel addi vel diminui, vel omnino emendari possit, cum omnia plus quam regie ac prudenter composita sint, tamen unum adhuc quiddam nobis incidit, quod pro simplicitate nostra (etiamsi in commissis eius rei aliqua ex parte occulte mentio facta sit) reliquis quoque adhuc addi consultum iudicavimus ac ideo maxime, quo innocencia nostra ac editi vani processus Iudicii Imperialis Camerae oportunitas hoc melius innotesceret. Nempe ut Generositas Vestra simul induceret, quomodo Sacra Regia Maiestas Poloniae nobis per penale suum transmissum mandatum severe iniunxisset demandassetque coram Imperialis Camerae Iudicio, aut alibi quam coram Maiestate Sua Regia Amplissimaque Poloniae Corona, neutiquam comparandi neve ulla mandata, citationes aliaque his adhaerentia, a dicto iam Imperialis Camerae Iudicio aut aliunde promanantia, recipiendi, multo minus eisdem obediendi, prout Generositas Vestra huiusmodi inhibitionis copiam in principio transmissi libelli, litera B signati, inveniet. An vero talia, quae nobis in mentem sic venerunt, utilia sint atque necessaria, id Generositati Vestrae diiudicandum relinquimus. Praeter haec aliud nihil habemus, quod ad amplificandam eam ipsam instructionem summopere necessarium iudicemus. Cum autem timeamus omnino futurum, ut praetensus Teutonici Ordinis Magister²⁾ una cum cohaerentibus suis nonnulla argumenta obiiciat, nec dubitemus, quin Sacra Regia Maiestas pro conservatione proprii sui iuris Generositatem Vestram ad omnes casus bene subornarit, ita ut praeter illud parum aut omnino nihil invenire queamus, tamen ex debito, quo Sacrae Maiestati Regiae eiusdemque Amplissimae Coronae adstricti sumus, praetermittere noluimus, quin Generositati Vestrae nostrum quoque hac in re sensum et opinionem ad maiorem causae utilitatem aperiremus. An vero Generositas Vestra omnibus iis, aut saltem pro parte, uti ac ea corrigere atque emendare velit, id in Generositatis Vestrae arbitrium ac voluntatem reiicimus, non dubitantes Generositatem Vestram omnia haec, quae pro innata sua eximia prudentia altoque iudicio utilia atque necessaria arbitrabitur, summa diligentia curaturam atque expedituram esse.

Primum autem habet Generositas Vestra omne adminiculum et fundamentum, quod nobis in tam parvo temporis spacio in mentem incidere potuit, ex transmisso scripto, litera B signato. Verum ob nimiam legendi molestiam id nunc recensere ac denuo repetere supervacaneum duximus. Quod si proponeretur, nos tanquam inobedientes non comparuisse, nec nos vel per literas vel sufficientes legatos vel alios modos, quibus forum declinari solet, ostendere voluisse etc., nihil aliud faciendum erit, quam ut id ita se habere fateatur. Cur autem id factum sit, supra commemoratum est, nempe quod Sacra Regia Maiestas nobis per inhibitionem ac penale suum mandatum summa severitate iniunxerit, ne comparere aut ullam citationem recipere vellemus. Cui mandato nos, tanquam obedientem Principem, merito obedire oportuit. Nam si Regia illius Maiestas concessisset aut contenta fuisset, potuissemus Dei Omnipotentis auxilio eas rationes proponere, quo Caesarea ac Regia Maiestates ac quilibet intellexisset, nos a negotio et causa nostra adeo non abhorrere. Si vero diceretur, postquam Regia Maiestas nobis talem inhibitionem transmisisset, debuisse quoque Maiestatem illius cum osten-

sione huiusmodi inhibitionis causas ac rationes iuris et proprietatis sui¹⁾ Imperialis Camerae Iudicio reddere, quod ab ea intermissum esset etc., posset nostro quidem tenui ac exili iudicio in hanc ferme sententiam responderi: Sacram Regiam Maiestatem Poloniae non obligatam esse coram Imperiali Camerae Iudicio sistere, quae eidem Iudicio super Maiestatem illius aut eiusdem subditos nullam superioritatem concederet. Proinde haud necessarium iudicasset Maiestas illius cum eis ea de re actionem suscipere, Maiestatem autem illius Regiam saepius antea Maiestati Caesareae et per literas et legatos totam causae circumstantiam indicasse, quae nullo non tempore a Maiestate illius Caesarea responsum impetrasset, sperantes, cum Caesarea illius Maiestas eo contenta sit, Iudicium quoque Imperialis Camerae nihil in praeiudicium Sacrae Maiestatis Regiae iurisdictionis et proprietatis suae attentaturum, Maiestatem enim illius Regiam iure armataque manu terras ac subditos suos hucusque defendisse, quod in posterum quoque non omissura esset.

Item si proponeretur, nos terras has Prussiae proprio motu et incoacte Maiestati Regiae tradi[di]sse etc., poterit Generositas Vestra absque monitione nostra facile respondere, nos id non sine magna necessitate praecedente facere coactos fuisse. Nam quamvis ad instantiam Ordinis cum terris ac subditis nostris Sacrae Maiestatis Regiae belli potenciam ac vim in alterum usque annum, non sine maximo periculo proprii corporis nostri ac devastacione depopulationeque omnium terrarum Prussiae, sustinuerimus, tamen praeter omnem expectationem et multifarias promissiones auxiliorum, ab omnibus derelicti, in extremo periculo permansimus, ubi postremo et ad ultimum quadriennales inducias nos facere atque in compromissum consentire oportuit. Quo tempore quantos labores ac sumptus tulerimus et quomodo tam ab universo Ordine in Germania, quam reliquis omnibus, nullum auxilium impetrare potuerimus, donec tempus induciarum transiisset, id nemini etiam per totam Germaniam obscurum esse arbitramur. Post elapsum tempus dictarum induciarum Maiestas Regia iterum bello se accinxit, volens reliquam adhuc partem et minimam harum terrarum Prussiae, quae in eo ipso bello conservata fuit, invadere ac depopulari. Ditiones vero ac terrae Prussiae non solum igni et homicidiis devastatae fuere, verum etiam eo ipso in bello (quo nil peius) ad summam paupertatem et caritatem redactae sunt, ita etiam, ut multi homines fame et merore interierint. Quid nobis tunc temporis faciendum erat, qui neque auxilium ab ipso Ordine in Germania habere, neque etiam ullam spem in miseros atque perditos subditos, quorum pauci evasere, ponere potuimus? Romano Imperio ea res parum curae erat, immo Romana Caesarea Maiestas ipsa iubebat nos pacem quibuscumque etiam conditionibus accipere, ne in aliis suis negociis impediretur. Praelati, Ordo ceterique Domini harum terrarum Prussiae, una cum omnibus subditis, suadebant summisque orabant praecibus, ut (quoniam hae terrae bellum sustinere amplius non poterant) pacem inire et vellemus et deberemus.

Cum itaque^{b)} haec necessitas, huiusmodi mandatum et tales suasiones praedictorum Dominorum terrarum istarum Prussiae, necnon ingens illa miserorum subditorum paupertas, extrema perniciēs et damna illis illata (quae quemlibet etiam tyrannum commovere potuissent) nobis ob^{c)} oculos versarentur, contulimus non solum nos propter praefatas has omnes causas ad Sacram ipsius Regiam Maiestatem, verum etiam

Ordo ipse in Prussia legatos suos tam ex Praelatis, quam reliquis Ordinis Dominis terrarumque subditis, nobiscum ad Maiestatem Regiam ipsius ablegavit. Apud quam Serenissimi olim Principis ac Domini, Domini Ludovici Hungariae Regis etc. foelicis ac piae memoriae, oratorem nonnullosque alios invenimus. Inceptum est negocium. Et a Sacra Maiestate Regia Poloniae nobis, utpote Maiestatis Suae nepoti et nato Romani Imperii Principi, Prussiae haec^{d)} provincia ita, quemadmodum eam nunc possidemus, in feudum tradita. In quam infeudationem non nos solum, verum etiam gubernatores et legati nomine omnium aliorum Dominorum et tocius Ordinis conventus terrarum Prussiae consenserunt eandemque approbaverunt ac se denique totos, post acceptam cladem et calamitatem, in fidem et tutelam (quod et antea quoque ab Ordine factum nemo^{d)} ignorat) ultra tradiderunt. Quam ob rem quilibet cernere potest, in nobis non, sed pacis collatore, prout ille eandem dare voluit, rem positam fuisse. Eoque nomine Maiestati Regiae Amplissimaeque^{e)} Poloniae Coronae, quandoquidem in alium modum pacem vel dare vel concedere noluerit, pro tali clementia (quam etiam alienigenae, considerando iurisdictionem suam, et quod cum nostris subditis resistere diutius neutiquam potuerimus, exhibere potuisset) merito summas ac immortales agimus gratias, quod etiam usque ad ultimum vitae nostrae curriculum non omissuri sumus. Proinde facile unusquisque penes se considerare poterit, quam leviter, quibus circumstantiis, quibus etiam praecedentibus consultationibus et auxiliorum petitionibus nos in fidem et obedientiam Maiestatis Suae Regiae, quod etiam nonnulli ex praedecessoribus nostris facere coacti sunt, dederimus. Prout Generositas Vestra talia et quae magis ad hanc rem necessaria atque utilia videbuntur, ex supra commemoratis scriptis clarius omnia percipiet. Ex quibus Generositas Vestra se contra adversariorum nostrorum pravas et iniquas obiectiones malevolosque conatus armare quodammodo poterit. Rem itaque omnem Deo Optimo Maximo et Generositatis Vestrae fidei ac singulari diligentiae committimus.

Unum adhuc silentio praeterire non possumus nec omittere, quin id Generositati Vestrae, quo eius quoque vel noticiam aliquam habeat, vel eo ipso necessitatis tempore uti queat, significemus, videlicet postquam praetensa illa proscriptio adversus nos, nostras has terras ac subditos edita et publicata est, Sacra Regia Maiestas per proprium suum tabellarium ad Romanas Caesaream ac Regiam Maiestates caeterosque Romani Imperii Electores ac Principes, nonnullosque alios Regni Romani status et ordines, sicuti Generositas Vestra ex adiecta copia, litera C notata, intelligere dignabitur, literas dedit, ex quibus id cognosci atque percipi potest, ut si praetensum illud imperiale bannum seu proscriptionem executio vel per arestacionem vel alios modos sequeretur, Maiestas ipsius Regia vicissim occasionem sibi sumeret pari modo agendi arestandique et negociantes homines et illorum bona. Et cum in vicinio habitantibus Electoribus, Principibus Imperiique civitatibus in commune, necnon praecipue mercatoribus et negociatoribus, in Amplissima Poloniae Corona terrisque his Prussiae non parum momenti sit positum, videretur pro nostra simplicitate nobis haud inconsultum, si Generositas Vestra cum Norebergensium aliarumque mercantium civitatum legatis noticiam et familiaritatem contraheret et cum illis meliore^{d)} quadam enarratione praesentium suorum commodorum, quae illis, si arestacio econtra in Poloniae Regno tentaretur, essent eventura, summa diligentia ageret, quo pro sua persona, ut qui sua quoque suffragia et

voces apud Romanum Imperium obtinent, ita in medium consulere velint, ut gravis illa et periculosa adversus nos et nostros edita proscripcio, quae illis quoque propter negociaciones suas non parum obfutura esset, infringatur et abrogetur. Simili modo posset per Generositatem Vestram, si proscripcio (quod tamen futurum minime speramus) non tolleretur. in ipsa actione aut inter disputandum de supradictis rebus mentio fieri, posset fortassis aliquid per haec media et suasiones obtineri, quod alias non fieret. Sed Generositas Vestra, pro singulari sua prudentia et negotii ipsius oportunitate, his omnibus modum addere facile poterit.

Porro Generositatis Vestrae frater, amicus noster inprimis charus, nobis inter reliqua quoque scripsit, ut subornare et informare Generositatem Vestram velimus, quo scire possit, cum quibus paulo apertius et liberius his de rebus agere debeat, et ut ex nostris aliquem, hominem adeo non obscurum et qui illorum hominum mores et ingenia calleat, eo ablegare velimus, per quem Generositas Vestra aditum quendam ad Romani Imperii Principes, Dominos et fautores nostros, habere possit etc. Proinde Generositatem Vestram cerciorem facimus, nos iam dudum Nobilem ac Generosum, fidelem nobis dilectum Christophherum a Creytzen, consiliarium et cubicularium nostrum, ad saepe dicta Ratisponensia Comitia, ut causam istic nostram diligenter promoveat, ablegasse. Huic illico scripsimus mandavimusque, ut Generositatem Vestram eo in loco expectare, se ad eandem conferre atque illi⁸⁾ operam suam praebere velit. Ex eo facile cognoscet Generositas Vestra omnem rei oportunitatem et cum quibus Principibus aut Dominis, quos favere parti nostrae non dubitamus, sermones conferre debeat. Inprimis autem poterit Generositas Vestra ambos Saxoniae Principes, utpote Electorem Saxoniae⁹⁾ et Ducem Heinricum, Marchiones Brandenburgenses, Electorem scilicet Marchiae⁶⁾, Marchionem Georgium fratrem et Marchionem Albertum iuniorem, patruelem nostrum, Landgravium Hassiae⁵⁾, Duces Pomeraniae⁶⁾ ac Luneburgi⁷⁾ cum omnibus suis adhaerentibus libere et confidenter alloqui. Hos prae reliquis omnibus confidimus causam nostram, tamquam fidos amicos et fratres, diligenter et acturos et promoturos esse. Nam quamvis alios plures Generositati Vestrae indicare facile possemus, tamen id minime necessarium existimamus, praesertim cum isti iam nominati reliquos ad se trahere et illorum hac in re consilio auxilioque uti non intermittent. Quomodo vero Generositas Vestra eos aggredi ac Sacrae Maiestatis Regiae nomine alloqui queat, in eo modum ac viam Generositati Vestrae praefatus cubicularius noster ostendet. Qui Generositati quoque Vestrae, si in proscriptionis¹⁾ causa aut alias maiori expositione ac declaratione opus habuerit, eandem communicare non gravabitur. Poterit namque is, reliquorum amicorum, necessariorum ac servitorum nostrorum consiliis accedentibus, Generositati Vestrae hac in parte plurimum prodesse. Firmiter sperantes, Generositatem Vestram hanc causam apud Romanas Caesaream ac Regiam Maiestates reliquosque omnes Sacri Romani Imperii status et ordines ad optatum, bonum et diu desideratum finem perducturam esse. Quod si proscripcio seu bannum imperiale, contra nos, nostras has terras ac subditos publicatum, in integrum nunc tolli et abrogari non possit, videretur nobis omnino operae precium, ut ad minimum Generositas Vestra diligenter laboraret omnemque suam operam in id converteret, quod huiusmodi proscripcio ad aliquod saltem tempus suspenderetur, donec de iurisdictionibus inter Poloniae Coronam et Romanum Imperium agatur et concordetur, ne per parvam illam¹⁾ scintillam, praeser-

tim hoc periculoso tempore, quo haereditarius christiani nominis hostis nullas non Christianae Reipublicae practicas atque insidias struit, ingens quoddam incendium exuscitur et per hoc Christiano Orbi irreperabile damnus inferatur.

Quod si de amicabilibus mediis ac viis, videlicet quomodo aut quibus rationibus Romanae Caesareae Maiestati ob putativam suam superioritatem, Dominis vero Theutonici Ordinis ob praetensam illam suam iurisdictionem, dominium seu proprietatem satis fieri possit, sermo haberi et ea de re agi deberet, non dubitamus, quin Generositas Vestra, quid ei hac in parte faciendum sit, a Sacra Regia Maiestate plenam et integram illius mentem cognorit, ne nos, quasi in mora fuerimus, inculpari queamus. Ac etiamsi Generositati Vestrae libenter huius quoque rei gratia mentem ac sententiam nostram simplicem aperuissemus, tamen non satis certi sumus, quo modo quibusve rationibus id fieri debeat.

Quapropter ex omnibus his superioribus informationibus ac transmissis copiis poterit Generositas Vestra, pro singulari sua prudentia et rei oportunitate, ea eligere ac quaerere, quae illi ad hanc causam cum necessaria, tum utilia videbuntur. Committimusque iterum atque iterum, ut supra meminimus, totum illud negocium Divinae Maiestati et Generositati Vestrae, clementer petentes, Generositas Vestra dignetur hanc ipsam causam, in qua non minus Sacrae Maiestati Regiae, Domino nostro omnium clementissimo, celeberrimoque Poloniae Regno, quam nobis ipsis, multum momenti est positum, summa diligentia eaque, qua singulariter est praedita industria, ita agere et promovere, quemadmodum eam pro singulari nostra in eandem fiducia facturam non diffidimus. Quo facto Generositas Vestra, post foeliciter et ex omni sententia confectum expeditumque negocium, non solum apud Sacram Regiam Maiestatem eximiam clementiam et gratiam, verum etiam apud omnes totius Regni Poloniae incolas ac subditos, perpetuam et nunquam intermorituram laudem ac gloriam sibi conciliabit.

Nos vero pro nostra persona dabimus operam, ut nos gratos erga Generositatem Vestram vicissim exhibeamus, ne accepti beneficii immemores nos fuisse existimet, studebimusque, ut tale Generositatis Vestrae erga nos studium non solum erga Generositatem Vestram, sed etiam universam eius familiam omni clementia promereamur. Atque istud quidem Generositati Vestrae ex Sacrae Maiestatis Regiae iussu, pro causae ac negotii huius utilitate, significare volumus. Quam in Christo diu foeliciter vivere atque valere optamus. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria
Hieronymus.

- a) sequitur expunctum: apud
- b) in ms. itque
- c) in ms. ab
- d) supra lineam.
- e) in ms. Amplissimoque
- f) correctum ex: meliorem
- g) verbum correctum.
- h) correctum ex: proscriptionis
- i) correctum ex: illas

- z) sic in ms.
- 1) Carolus V et Ferdinandus I.
- 2) Valterus a Cronberg.
- 3) Ioannes Fridericus.
- 4) Ioachimus.
- 5) Philippus.
- 6) Barnim IX et Philippus.
- 7) Otto I, Ernestus.

Cedula

Caeterum in memoria adhuc habemus, praeteritis annis Reverendum in Christo Patrem, amicum ac vicinum nostrum charissimum, Dominum Ioannem Episcopum Varmiensem^{b)}, a Sacra Regia Maiestate Poloniae,

Domino nostro clementissimo et avunculo pientissimo, ad Romanam Catholicam Caesaream Maiestatem²⁾ tamquam oratorem et legatum in hac ipsa nostra causa, gravem illam adversus nos, terras has nostras ac subditos editam proscriptionem concernente, ablegatum fuisse, eundemque Sacrae Maiestatis Regiae nomine diligenter apud Maiestatem Suam Catholicam pro abroganda huiusmodi proscriptione sollicitasse atque instituisse. Quam ob rem praetermittere nolumus, quin Reverendae Suae Paternitati (utpote quam nobis multum ex animo favere certi sumus) huiusmodi instructionem et mandata, Generositati Vestrae a Sacra Maiestate Regia imposita, summa fiducia transmitteremus atque ab eadem consilium quoque suum hac in re, an aliquid in Sacrae Maiestatis Regiae Amplissimique Poloniae Regni ac nostrum commodum et utilitatem vel addendum vel omittendum existimaret, amice peteremus. Et quamvis Reverenda Sua Paternitas nihil immutandum in tali instructione censuerit, tamen transmisit nobis quasdam literas, quas ad Dominum de Granvella³⁾, Generositatem Vestram nonnullosque alios hac in causa^{a)} scripsit, quas una cum his Generositati Vestrae, quo eas ad debita loca perferre possit, transmittimus. Ut autem Generositas Vestra scire queat, quid Reverenda Paternitas Sua ad Dominum de Granvella hoc in negotio scripserit, mittimus hic Generositati Vestrae eius quoque scripti copiam, litera D signatam, quam nobis Reverenda Sua Paternitas una cum aliis literis transmisit, ut si quid in eo esset, quod ad rem promovendam utile ac necessarium videretur, Generositas Vestra eo ipso tanto commodius uti^{b)} posset, iterum atque iterum clementer summeque petentes, Generositas Vestra dignetur omne negotium totamque causam nostram, prout non dubitamus, diligenter commendatam sibi habere eoque, quo unquam poterit studio, quam diligentissime promovere. Id nos praeterquam, quod haec res sibi ad perpetuam laudem ac gloriam accumulandam augendamque non parum momenti adferet, summo studio clementiaque singulari erga Generositatem Vestram promereri studebimus. Datae ut in literis.

In initio scripti in margine: Ad Stanislaum Macziewski, 4 Aprilis.

a) *pro verbo expuncto suprascriptum.*

1) *Dantiscus.*

b) *sequitur expunctum: possit*

2) *Carolus V.*

3) *Nicolaus.*

N. 1928.

E Regio Monte, 5.IV.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

pro oratore [Stanislaus Maciejowski] ad Comitia Imperii in negotiis suis nominato gratias agit et nuntiat se illi pleniorum instructionem misisse.

(Schedula: de salvo conductu sibi ab imperatore oblato et de responso suo nuntiat consiliumque petit, quomodo se gerere debeat, si denuo propria in persona in Imperium vocatus fuerit).

Cfr. El. XXX, N. 229.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162. et Germanicum, HBA, B, K. 1161).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 531-534.

Ad Regem Poloniae, V Aprilis.

Gratias agit, quod propter negotia Pruthenica oratorem suum in

Comitia Ratisponensia miserit, cui plenior instructionem se misisse scribit.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Ex literis Regiae Maiestatis Vestrae, Vilnae decimo septimo die mensis Marcii datis, a me vero summa, qua decuit, reverentia receptis, singulari desyderio atque animi alacritate intellexi, quod Regia Maiestas Vestra in mei meorumque subditorum gratiam ac consolationem oratorem suum ad Romanam Catholicam Caesaream Maiestatem¹⁾ in Comitata Romani Imperii praesentia Ratisbonam versus ablegare dignata sit. Id quod laciis mihi Reverendus in Christo Pater et Dominus Samuel, Chelmensis Episcopus Regnique Poloniae Vicecancellarius, amicus fraterque mihi charissimus, literis quoque suis cum inserto demandatae provinciae tenore aut instructione significavit. Ex qua quidem maximae benevolentiae exhibitione ac simul ex dicto tenore legationis, summa providentia regia diligentiaque conflatae, Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae erga me regium ac plane paternum [studium] abunde percepi, maxime sperans petitionem huiusmodi [apud] Regiam Maiestatem Vestram (Deo auxiliante) multum ponderis et auctoritatis esse habituram causasque ipsas, promotione Regiae Maiestatis Vestrae huiusmodi mediante, finem debitum et optatum adepturas. Pro qua quidem regia paterna ac clementissima benevolentia Regiae Maiestati Vestrae subditas, maximas et immortales habeo gratias, quas si corpore, rebus ac sanguine proprio referre eidem Regiae Maiestati Vestrae totique regiae domui et inclito Regno Poloniae possem, offero me sedulis ac indefessis studiis promptissimum.

Quod vero eadem Regia Maiestas Vestra mihi consulit ac mandat, ut eundem oratorem de omnibus causis earumque circumstantiis, quas illic agere possit, reddam certiorum, nec cessem huiusmodi causas fratribus ac reliquis Principibus, sanguine et affinitate mihi coniunctis, meis scriptis commendare, tametsi in Regiae Maiestatis Vestrae demandata legatione nihil praetermissum video measque vires imbecilliores esse, quam ut aliquid citra exactam Regiae Maiestatis Vestrae prudentiam immutare vel commodius reddere praesumam, tamen quantum^{a)} potui et quicquid mihi necessarium visum est, id oratori Regiae Maiestatis Vestrae (eiusdem Maiestatis Vestrae consilio obsecundans) transmisi. Egi insuper apud Electores ceterosque Principes, necnon status Imperii mihi favorabiles et sanguine iunctos, per nuncium meum, ut sperem eosdem, quicquid in rem Regiae Maiestatis Vestrae ac meam causarumque commodum fore arbitrabuntur, voluntate atque studio (prout id ipsum se facturos^{b)} receperunt) non defuturos.

Denique quod ipsa gravamina meorum subditorum in districtu Memelensi et Maiestatis Vestrae Regiae ad ea clementem responcionem spectat, eiusdem Regiae Maiestatis Vestrae regium ac clementem animum summa humilique cum gratitudine recipio, cuius quidem responcionem humiliter expecto, minime dubitans, Regia Maiestas Vestra iuxta regiam ac clementem suam promissionem id fieri demandabit, ne ulteriora incommoda inter utriusque partis subditos inde sequantur, ad quod quidem retaliandum me summis studiis quam paratissimum offero. Eandem Regiam Maiestatem Vestram totamque regiam inclytam domum omnesque sibi coniunctos Deo Optimo Maximo ad Nestoreos annos diuturna ac prospera valetudine, longa, pacifica ac foelicissima gubernatione omni quoque insuper prosperrimo successu, tam secun-

dum animum quam corpus ipsum, me vero eidem Regiae Maiestati Vestrae, tanquam fidelem et obedientem Principem, una cum terris subditisque meis quam obsequentissime ac peramice commendo. Datae e Regio Monte, ut supra.

a) *pro expuncto*: tanta *suprascriptum*.

b) *in ms. facturas*

1) *Carolus V.*

Cedula

De Matthia Held, quid is ipsius Celsitudini indicari fecit.

Insuper, Clementissime Domine ac Avuncule Charissime, Regiam Maiestatem Vestram humiliter scire facio, me transactis iam temporibus quandam meorum servitorum^{a)} in Inferiorem Germaniam [cum] literis ablegasse. Qui rediens certam mihi relationem ex Venerabili ac praestanti viro, Doctore Mathia Held, Caesareae Maiestatis¹⁾ Vicecancellario ac oratore, attulit. Ad quam relationem equidem eidem respondere permotus sum, prout Regia Maiestas Vestra ex inclusa istis literis copia intelligit. Interea quidem temporis mihi, absque ulla mea instantia, a Caesarea Maiestate salvus conductus sub sigillo oblatus est, cuius exemplar, e Germanico in Latinum versum, praesentibus transmitto. Qua in re ipsam quidem infeudationem ac nihilominus debitam meam observantiam erga inclitum Poloniae Regnum haud immerito perpendi. Verum ut Regia Maiestas Vestra inoffensa maneat, ad curiam Caesaris sub tenore, praesentibus inserto, rescripsi. Ex quibus Regia Maiestas Vestra indubie intelligit, me pro meis debitis in nullam transactionem (inscia Maiestate Vestra Regia) consentire voluisse, sicuti etiam non licet, procul dubio sperans, Regiam Maiestatem Vestram hanc meam responsionem comprobaturam.

Proinde si quicquam Regiae Maiestati Vestrae requisitionis huius occasione in mentem venerit, quod^{b)} oratori suo in^{c)} praedictis Comitibus Imperialibus scitu necessarium videri possit^{d)}, si forte illi simile quicquam obiectum fuerit, rogo, Regia Maiestas Vestra obnixè dignetur id ipsum quoque ex regia sua erga me benevolentia, ad causae ipsius meliorem expeditionem, quam primum transmittere ac nihilominus, si de novo forte propria in persona vocatus fuero, qualiter me hac in re gerere vel expedire debeam, Regiae Maiestatis Vestrae consilium pro mea summa observantia ac fidutia erga eandem^{e)} Regiam Maiestatem, Dominum ac patrem meum clementissimum, communicare, quandoquidem apud me semel constitutum est nulli rei potius, quam consilio, voluntati^{f)} ac mandato Regiae Maiestatis Vestrae prorsus acquiescere, idque mea^{g)} summa observantia erga Regiam Maiestatem Vestram re-compensaturum. Datum ut in literis.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii

Loemoller.

a) *correctum ex*: servitorum

b) *correctum ex*: quoad

c) *supra lineam*.

d) *sequitur expunctum*: inventum (sic).

e) *in ms. eundem*

f) *correctum ex*: voluntate

g) *in ms. meo*

1) *Carolus V.*

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

de iniuriis a subditis suis subditis reginae Bonae in bonis Siemno illatis respondet sibi non constare eiusmodi iniurias a suis illatas esse; sperat futurum, ut rex libertates et iura sua servaturus et defensor sit.

Cfr. El. XXX, N. 228.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162, et Germanicum, HBA, B, K. 1161).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 534-539.

Regi Poloniae, V Aprilis.

De finibus Lithuanicis. Principio excusat suos ac affirmat sibi ignotum, quod illa iniuria a suis sit illata. Postea petit, ut^{a)} tandem controversia decernatur ac dirimatur.

Clementissime Rex, Domine et Avuncule Charissime.

Literas Regiae Maiestatis Vestrae, Wilnae 10 Marcii istius anni praesentis datas, de inopinato accepi. Ex quibus quomodo Vestra Regia Maiestas gravetur, quod eiusdem Regiae Maiestatis consorti^{b)} longe amantissimae, Dominae meae et Reginae gratiosissimae, non leves iniuriae in ipsius Reginalis Maiestatis bonis Simno vocatis a subditis meis, in vicinio istorum bonorum habitantibus, per invasiones satis audaces in praedictae^{c)} Maiestatis possessionibus acciderent. Ita ut silvas et solitudines^{d)} devastent, gramina demetant^{e)}, fenum clam in suas aedes devehant. Insuper etiam iniurias, caedes et minas fieri ac^{f)} alioqui quam plurima eos damna inferre, quae omnia una cum aliis, quae in literis continentur, summo obsequio intellexi. Ego vero tam iniquos conatus non laudo. Ac eiusmodi, sive a meis Capitaneis sive subditis sint facta, prorsus ingratis auribus percepi. Et non minus mihi quam Maiestati Vestrae Regiae valde molestum ac adversum est neque, si ita sese rem habere certo rescivero, impunitum relinquam. Si vero aliquid contra Regiae charissimae consortis gratiosissimae, praeiudicium fortassis ageretur, molestissimum mihi foret. Quandoquidem ego ex debito sanguinisque coniunctione erga ipsam Reginalem Maiestatem in omnibus licitis, aut quicquid tandem Regiae Maiestatis Vestrae ad honorem et commoditatem facere possum, me plane hoc ipsum obnixè et summa cum reverentia facturum recipio, nedum ut tam iniquas res a subditis meis fieri paterer. Nihil vero de hac re in hoc usque tempus rescivi, sed iam primo ad aures meas pervenit. Serio quidem animo exquirendum curabo, ut si quid huiusmodi (quod tamen non spero) rescivero, sic animadvertam in eos, ut ambae Regiae Maiestates Vestrae hoc satis comprobent. Sed hoc quoque rursus pro certo affirmare audeo, quod ab Regiae Maiestatis Vestrae subditis meis subditis invasiones et alia iniqua gravamina, quae minime decent^{g)} vicinos, acciderint. De qua re antea quoque Vestrae Regiae Maiestati sufficienter ac saepe significavi. Sed quia citra iactantiam istius animi sum, ut qui iuxta pacta et alias quoque in omnibus licitis debitae obedienciae et vicinitatis Magno Ducatu Lithuaniae exhibere me velim, rursus firmiter sperabo, Regiam Maiestatem Vestram per illos invidos ad perturbandam regiam suam

erga me gratiam (quam certo certius mihi adhuc illaesam stare credo) unquam commoveri. Neque ullam suspicionem (quam usque ad extremum halitum et sepulturam cavebo) de me colliget.

Quicquid autem a Regia Vestra Maiestate de hac re mihi scriptum est, illud omne non eidem, sed iniquis delationibus acceptum referre cogor. Sed quia quotidie ex utraque parte accusationes sese cumulant^{b)}, neque adhuc sciri potest, utra^{c)} pars peccaverit et punienda sit, humillime et ex singulari sanguinis coniunctione peto, Vestra Regia Maiestas nullam his rebus, quae praedicta sunt, fidem adhibere velit, aut ideo regium et proclivum animum, quem erga me gerit, eundemque ego saepissime sensi, labefactari aut mutari paciatur, sed has et huiusmodi dissensiones usque ad utriusque partis destinatos commissarios limitum (qui quidem brevi et statuto tempore convenient^{d)}) conquiescere sinat. Ibi tum^{k)} omnis generis praetermissa et admissa gravamina pro necessitate ad manus sumentur, audientur et cuicumque parti aliqua iniquitas adhaerebit (quae iustis rationibus dissolvi nequeat), huic poena iusta constituetur. Nihilominus autem in nominata loca meorum Capitaneorum²⁾ scribam, ut quid harum rerum omnium actum sit, penitus cognoscam. Ac demandabo etiam, si forte aliquae minae sive ullum aliquid incommodum a meis subditis factum sit, ut hoc ipsum atroci poena prohibeatur et avertatur. Id quod ego itidem, respectu singularis consanguinitatis et vicinitatis, de Maiestate Vestra Regia in Lithuaniae finibus fieri humiliter amiceque sperabo.

Quod vero praeterea Maiestas Vestra Regia se moleste ferre indicat, quomodo eiusdem charissima consors, mea gratiosa Domina et Regina, alicui ex suis subditis, causa supradictae iniuriae, literas perferendas in Insterburg ad Capitaneum ibi meum dederit, quem quidem subditi mei recta ac compendiosa^{l)} via ad Insterburgk proficisci inhibuisse et per aliam curvam viam multo cum gravamine et dispendio ad iter faciendum coegisse accusantur, ad hoc ego summo obsequio et observantia peto, Vestra Regia Maiestas hoc ipsum adeo ad animum revocare vel etiam mihi inclementer interpretari nolit^{m)}, hac in re considerans, quod non absque maxima necessitate et iustis rationibus olim semper, iuxta contractus et pacta, hac ratione cum insolitis viis servatum fuerit, quemadmodum Vestrae Regiae Maiestati et eiusdem charissimae consorti ego antea sufficientes et satis firmas rationes indicavi. Neque dubium id quidem est (secundum Maiestatis Vestrae Regiae declarationem), aliter se longe habere cum tabellariis aut iis, qui literas ferunt, quam cum mercatoribus et aurigis. Est autem iuxta meam simplicitatem rursus considerandum, quod per crebram iterfactionem tabellionum inviae vel inusitatae viae tandem tritae et communes fiant. Unde et Vestrae Regiae Maiestatis et hisce regionibus ac populis (consideratis multifariis et furtivis viis) damna atque incommoda evenire possunt. Cum itaque publici et iuramento firmati contractus inter Magnum Ducatum Lithuaniae et me vias novas et inusitatas prohibeant, neque etiam a multis annis usquam concessae fuerint, spero ego Maiestatem Vestram Regiam nullius nomine, et quod ea, quae contractus et foedera secum ferunt, servare studeam, ad ullam erga me inclementiam commoveri, sed multo magis propter sui ipsius honorem, tum etiam propter commodum ac necessitatem feudi, me in his defensuram. Siquidem non diffido, quam primum commissarii convenerint, rem luce clariorem futuram, quaenam pars iusta aut iniusta sit. Haec erga Regiam Vestram Maiestatem omni subiectione et amicitia, ut fidelis feudatarius Princeps et nepos, prome-

reri non cessabo, ac noluiⁿ⁾ quidem haec Vestram Regiam Maiestatem ad literas suas humillimo meo obsequio celare. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii
Magister Iacobus.

- | | |
|---|--|
| a) <i>supra lineam.</i> | i) <i>in ms. ultra</i> |
| b) <i>in ms. consortis</i> | j) <i>correctum ex: convenirent</i> |
| c) <i>correctum ex: praedictam</i> | k) <i>pro expuncto: tamen suprascriptum.</i> |
| d) <i>correctum ex: sollicitudines</i> | l) <i>in ms. compediosa</i> |
| e) <i>in ms. demetent</i> | m) <i>verbum correctum.</i> |
| f) <i>pro expuncto: et suprascriptum.</i> | n) <i>in ms. volui</i> |
| g) <i>correctum ex: deceant</i> | z) <i>sic in ms.</i> |
| h) <i>correctum ex: cumulent</i> | |

N. 1930.

E Regio Monte, 5.IV.1541.

Albertus dux in Prussia

episcopo Chelmensi [Samueli Maciejowski]

respondet, cur eum in litteris suis fratrem appellaret; pro diligentia in mittendo ad imperatorem legato regio adhibita gratias agit; rogat, ut operam suam interponat, ne falsis invidorum delationibus animus regius a se abalienetur.

Cfr. El. XXXVI, NN. 673, 678, 679.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162, et Germanicum, partim HBA, B, K. 1161, partim HBA, B, K. 1162, cum differentiis formalibus).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 539-545.

Ad Episcopum Chelmensem, 5 Aprilis.

Primo recitat causas, quare eum contra consuetum morem fratrem appellet. Deinde agit gratias, quod ita diligenter institerit, quo legati mitterentur ad Caesarem¹⁾. Postremo petit, ut det operam, ne animus regius ab invidis et obtrectatoribus suis abalienetur.

Obsequia nostra amica et quicquid grati praestare possumus, Reverendae Paternitati Vestrae offerimus.

Reverende in Christo, Domine, Amice et Frater nobis Charissime.

Quod nos modo Reverendam Paternitatem Vestram in nostris litteris, praeter hactenus observatum morem, fratrem appellamus, hinc nascitur, quod cum Reverendae^{a)} Paternitatis Vestrae antecessores, nostrique dilecti amici et fratres, Domini Petrus Tomitius ac Ioannes Choinski, utriusque incliti Regni Poloniae, alter superior, alter inferior, Cancellarii (foelicis memoriae), in nostris negociis et causis amicam et fraternam nobis benevolentiam praestiterint, Reverenda quoque Paternitas Vestra se in omnibus ad nos spectantibus causis ad hoc usque tempus, praecipue autem in hoc maximo negotio, in quo Regiae Maiestatis, nostri clementissimi Domini patris, atque Amplissimi Regni Poloniae summa utilitas et existimatio agitur^{b)}, nostra vero nostrique Ducatus et subditorum salus versatur, tanta fide tamque magna ac singulari diligentia praestiterit, iustis ergo de causis adducimur Reverendam Paternitatem Vestram in locum fratris recipere ac habere, sperantes Reverendam Paternitatem Vestram in amicitia^{c)}, benevolentia ac fraternitate erga nos incepta perseveraturam eodemque fraterno et titulo et amore dehinc

erga nos usuram. Reverenda etiam Paternitas Vestra a nobis nihil aliud nisi omnem benignitatem et fraternae benevolentiae animum et officium, tum verbis, tum re ipsa^{d)} expectabit.

Ex literis autem Reverendae Paternitatis Vestrae, Vilnae XVIII Mar-
cii datis, inter alia intelleximus, quod Reverenda Paternitas Vestra cum
Serenissimo Rege Poloniae, Domino nostro clementissimo ac avunculo
charissimo, in ipsius Maiestatis nostrisque magnis negociis legatum ad
Caesaream Maiestatem mittendum quam diligentissime egerit. Sed quia
intellegimus, Regiae Maiestati non visum fuisse Dominum Sobotzki eo
mittere propter infirmam Regiae Maiestatis valetudinem, neque enim
esse alium, quo libentius in hac infirmitate rationem sui habendo utatur,
quique citius et melius illo ad gratiam omnia faceret, id nobis, ut apud
illius Maiestatem maneat, non tantum gratum est, sed etiam nosmet
ipsi, si a Deo Optimo Maximo eam facultatem haberemus, ut eius
Maiestati et ad salutem et ad sanitatem prodesse, servire atque obsequi
possemus, id pro debito ac sanguinis^{e)} coniunctione sedulo et ex animo
summo conatu exequi non praetermitteremus. Neque quicquam re vera
nobis iucundius est, quam ut Maiestati ipsius in hac infirma valetudine
(quam Deus Optimus Maximus ad constantem valetudinem clementer
convertere dignetur), necnon in laudatissima senectute bene serviat.
Quare primum Reverendae Paternitati Vestrae pro summa diligentia
proque eo, quod hoc negocium ad nostram utilitatem ita perpenderit
quodque, ne a legatione desisteretur, suum fratrem, Nobilem ac Gene-
rosam, nobis syncere dilectum Stanislaum Matzieffski, obtulerit, quem
quidem nos aequae summe idoneum ad hanc maximi negotii legationem
arbitramur, nobisque propter Reverendam Paternitatem Vestram multo
acceptissimus est, deinde et pro amica oblatione ac gratulatione, non
solum ipsi, sed et fratri tempus et oportunitatem dari, quo Sacrae
Maiestati Regis Poloniae ac Amplissimo eiusdem Regno, necnon nobis,
nostro Ducatui et subditis servire atque hac re nostram gratiam et
favorem consequi possit, magnas gratias agimus, ac sicubi vicissim Re-
verendae Paternitati Vestrae gratum facere, necnon eiusdem fratri om-
nem clementem benevolentiam praestare, occasionem haberemus, id nullo
pacto facere praetermitteremus^{f)}, sed vicissim, ut benevolus amicus, fra-
ter et clemens Princeps cognosci studebimus. Perspicimus quoque Regiae
Maiestatis instructionem ea diligentia, studio, regio ac singulari ingenio
ac gravitate institutam, ut nos in ea nihil emendandum arbitremur^{g)},
nostram tamen sententiam Reverendae Paternitatis Vestrae fratri scrip-
simus, quod Regia Maiestas ad factam et transmissam Imperialis Came-
rae citationem comparere nos prohibuit. Id nostro iudicio non parum
huic negotio proderit etc. Reverendae tamen Paternitati Vestrae, ut
huiuscemodi instructionis auctori, merito et diligentiam et laudem tri-
buimus, Regiae vero Maiestati propter regiam illam clementiam, quae
ex ea ipsa instructione satis evidenter manat atque apparet, maximas
ac debitas agimus gratias. Ubi cumque nos id (quod et pro servitio
debemus Deumque Optimum Maximum oramus, ut ad id praestandum
suam gratiam largiatur) erga Regiam eius Maiestatem eiusque Regiae
Maiestatis Serenissimum filium omnesque sanguine iunctos, necnon erga
universum Poloniae Regnum etc., promereri possimus ac valeamus, nullo
non tempore, ut fidelis vasallus et propinquo sanguinis vinculo co-
niunctus, quam paratissimus ac promptissimus inveniri^{h)} cupimus.

Quod autem ad libellum attinet, cuius Reverenda Paternitas Vestra
meminit, quem in hac causa exactis temporibus Reverendo in Christo

Patri, amico ac fratri nostro charissimo, Domino Petro Tomitio, Episcopo Cracoviensi¹⁾ bonae ac piae memoriae, tanquam ad instructionis formam transmisisse dicimur, ut eundem Reverendae Paternitatis Vestrae fratri per celerem aliquem nuncium Ratisponam transmitti ac eidem repraesentari curarem. Quamquam non satis nobis in memoriam redigere possimus, quis libellus sit, attamen Reverendae Paternitatis Vestrae fratri huiusmodi libellum aut instructionem et quicquid praeterea nobis fuit, unde disputationes fortasse exoriri possent, transmisimus, id quod procul dubio Reverenda Paternitas Vestra ex charissimo eiusdem fratre, cum redierit, cognoscet. Misimus quoque ad Conventum Ratisponensem Nobilem et Generosum nostrum cubicularium, consiliarium et fidelem nobis dilectum Christophorum a Kreytzen, antequam Regiae Maiestatis et Reverendae Paternitatis Vestrae literae ad nos perlatae sunt. Sed quoniam haec legatio tam subito accidit, ut praeter illum a Creytzen adhuc alium mittere nequivimus²⁾, nihilominus tamen eidem nostro cubiculario ac consiliario omnia acta transmisimus simulque iussimus ac iniunximus, ut Reverendae Paternitatis Vestrae fratrem observaret ac conveniret omniaque ad hoc negotium pertinentia, quae nos eidem ministro nostro proficiscenti dedimus, cum illo communicaret, necnon nostris fidelibus amicis eius personam indicaret atque significaret, quibus ex eisdem nostris Dominis ac amicis tuto se committere posset et quibus non. Apud quos, quicquid ad rem pertinet, inveniet, iisdemque semper illi, ut non dubitamus, nostra causa consilio, auxilio ac adiumento futuri sunt. His Reverendae Paternitati Vestrae, nostro singulari dilecto amico et fratri, committimus omnes nostras causas, adiecta hac petitione:

Quod cum varia offerantur negotia diversaeque literae e Cancellaria regia mittantur, Vestrae quoque Reverendae Paternitatis commoditas non sit ignota, ut ea amica erga nos benevolentia apud Regiam Maiestatem³⁾ procurare et efficere velit, ne eius Maiestatis⁴⁾ gracia a nostris malevolis facile a nobis amoveatur, nam divino auxilio erga Regiam eius Maiestatem eo obsequio ac amicitia commorari volumus, ut fidelem vasallum et sanguine propinquo iunctum amicum decet, necnon erga vicinos et finitimos eam bonitatem ac vicinitatem praestabimus et exhibebimus, ne scienter quid contra initas transactiones a nobis committatur. Et quia nobis ab eadem Regia Maiestate severiores quaedam literae, ex quibus animum eius erga nos aliquantulum commotum perspicimus, redditae sunt, et nos Regiam eius Maiestatem tempore importuno molestare non libenter vellemus, summa tamen necessitas postulat, ut iis literis, quemadmodum Vestra Reverenda Paternitas ex adiunctis perspiciet, respondeamus, itaque committimus Vestrae Reverendae Paternitatis summae perspicacitati, velit, ne huius nostri necessarii responsi sententiam oportuno tempore Regiae Maiestati offeratur ac repraesentetur, Reverenda Paternitas Vestra in his omnibus amice nobis gratificari velit, quae vicissim erga eandem summa diligentia recompensare propensi et amice ac fraterne demereri parati sumus. Datae e Regio Monte, ut supra.

a) *in ms. abbreviato*: Rle

b) *correctum ex*: agetur

c) *in ms.* amicitia

d) *sequitur expunctum*: exsp

e) *sequitur expunctum*: iuncto

f) *in ms.* praetermittamus

g) *correctum ex*: arbitramur

h) *correctum ex*: invenire

i) *sequitur expunctum*: Cracovien

j) *error pro*: nequiverimus

k) *in ms.* bis scriptum.

l) *in ms.* Maestas

1) *Carolus V.*

Cedula

Scribit se ideo ea, quae a Caesare¹⁾ sibi perscripta sunt, non mittere, quod ea omnia a Regia Maiestate facile agnoscentur. Item de rebus Turcicis.

Quae nobis quoque scriptis his literis a Romana Catholica Caesarea Maiestate venerunt, ex his nihil separatim Reverendae Vestrae Paternitati transmittere volumus, quod ea omnia et aperte Regiae Maiestati, Domino nostro et patri clementissimo, transmiserimus. Et quia Reverendam Vestram Paternitatem nihil celatur eamque alioqui multis gravatur, non libenter duplici lectione onerare vellemus. Nihilominus petimus quam familiariter, iuxta Regiae Maiestatis clemens ac regium consilium, Reverenda quoque Paternitas Vestra fidelem atque benevolam suam sententiam communicare [velit]. Id summo studio erga Vestram Reverendam Paternitatem amice et fraterne promerebimur. Praeter haec tamen pro singulari benevolentia Vestram Reverendam Paternitatem celare nolumus, quod a quodam Ratispona veniente certiores facti sumus, quod Conventus seu Comitata ante ferias Paschae vix inchoabuntur. Idem quoque retulit, Turcas oppidulum nomine Watze²⁾ apud Wiregrad³⁾ occupasse, omnibus incolis miserrime interfectis, totum igni ab iis vastatum. Sed ex arce, quae eidem oppidulo adiacet, aliquot hussari eruperunt, et fugientes Turcas insecutos ac quendam Wascham cum aliquot Capitaneis cepisse. Quae nos Reverendae^{a)} Paternitati Vestrae non ut certa, sed quemadmodum ad nos delata sunt, amice significamus. Datae ut supra in literis.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii
Ioachimus.

a) in ms. Reverendi

1) Carolus V.

2) Vác.

3) Vissegrad.

N. 1931.

E Regio Monte, 5.IV.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Kuntz, civi Posnaniensi,

rogat, ut per veredarium suum Martinum equum sibi remittat et in scriptis indicet, quanti nutrimentum eius constiterit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 486-486v.

N. 1932.

E Regio Monte, 5.IV.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Behem, medico Gnesnensi,

Alexandrum Kurtzbach ad eum mittit et rogat, ut ei nomine suo loquenti plenam fidem adhibeat et se benignum in eum exhibeat; transmittit exemplar praecedentium litterarum suarum, nam dubium se esse ait, an ad eum pervenerint necne.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, f. 489.

Albertus dux in Prussia

Thomae Sobocki, tribuno Lanciciensi,

pro subditis suis Regiomontanis intercedit, qui de novis et insolitis teloneis in Lithuania institutis conqueruntur, et rogat, ut apud regem instare velit, quo eiusmodi innovationes abrogentur.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 486v-487v.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

nomine subditorum suorum, civium Regiomontanorum, et subditorum regis, civium Gedanensium, rogat, ut innovationes in re telonearia, paucos ante annos magno cum eorum damno institutae, abrogentur.

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum cum dato: 6.IV.1541, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 546-547.

Ad Regem Poloniae, VII Aprilis.

Propter gravamina theloneorum et alias innovationes in Magno Ducatu Lithuaniae.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Honesti, Praeclari atque Prudentes Consules, Senatores ac reliqui civitatum Regii Montis cives, subditi mei ac fideles mihi dilecti, iuxta Amplissimum Dantiscanum Senatum, per Venerabilem atque Praeclarum Dominum Magistrum Iacobum N., ipsorum syndicum, apud me propter utriusque partis terrarum Prutenicarum communes negociatores, omnes Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae fideles subditos, sollicitantes institerunt humiliterque indicarunt, quod propter summa quaedam gravamina in Magno Ducatu Lithuaniae atque reliquis Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae terris ac provinciis, theloneorum aliarumque constitutionum novationibus contra veteres et etiam novos initos^{a)} confirmatosque contractus illis imposita, Sacram Maiestatem Vestram Regiam per suos legatos invisere constituissent. Me igitur, uti fideles subditi ac benevoli vicini, pro clementi promotione ad Sacram Maiestatem Vestram Regiam, quo ab istis gravaminibus liberati ipsorumque legatio maior haberi nihilque non boni operari possit, humiliter oraverunt. Quam petitionem, uti iustam et honestam, Gedanensibus tanquam vicinis charissimis, Regiomontanis vero tanquam subditis meis fidelissimis (quos^{b)} in omnibus licitis bene promotos libenter video promovereque teneor), denegare non potui. Porro posteaquam veterum atque proxime initorum^{c)} contractuum recordatus, ac aequum etiam sit, eos in omnibus punctis per omnia servari, quemadmodum a Sacra Maiestate Vestra Regia aliud fieri minime spero, non tantum propter Gedanensium, sed etiam meorum subditorum humilem petitionem ac magna gravamina, eos hac in re ex debito promovere coactus sum.

Quapropter diligenter, humiliter dediteque oro, Sacra Maiestas Vestra Regia erga nominatos legatos ac eos, quos post se relinquent, Sacrae

Maiestatis Vestrae Regiae subditos, in hoc (quemadmodum semper in aliis rebus omnibus ab eadem est factum) se eiusmodi clementia ac eo modo exhibere dignetur, quo supradicti Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae subditi propter suas maximas querelas exaudiantur, innovationes paucos ante annos constitutae aboleantur^{d)} atque iam saepe nominati veteres et novi contractus serventur, defendantur atque tueantur, quo etiam ego et fideles mei subditi Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae clementem voluntatem experiri meaque apud eandem humilis intercessio fructifera cognosci possit. Haec erga Sacram Maiestatem Vestram Regiam (quam nunc Deo Optimo Maximo, me meosque subditos eidem, commendo) propter sanguinis officiorumque meorum coniunctionem omnibus fortunis, uti decet, demereri studebo. Datae Regio Monte, VII Aprilis etc.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii
Christophorus Sangner.

a) *correctum ex*: innitos
b) *in ms.* quo

c) *correctum ex*: innitorum
d) *in ms.* aboliantur

N. 1935.

E Regio Monte, 8.IV.1541.

*Albertus dux in Prussia
Thomae Sobocki, tribuno Lanciciensi,
cubicularium suum in legatione mittit ad Georgium ducem Slucensem,
episcopum Samogitiae [Venceslaum Wierzbicki] et Ioannem Radzi-
wiłł, capitaneum Samogitiae, et rogat, ut ei in hac legatione bene
expedienda opera sua adsit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 487v-488v.

N. 1936.

E Regio Monte, 10.IV.1541.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, exercituum R.P. capitaneo,
mittit aliquot scripta de quibusdam gravibus et arduis negotiis suis et
consilium petit, quomodo se in eis gerere debeat; de litteris regis
«aliquanto durioribus atque severioribus» iam denuo acceptis mi-
ratur et rogat, ut praecavere studeat, ne in posterum «tale quippiam
fiat».*

(Schedula: de Ioanne Policki in Hungariam alegato).

Cfr. El. XXXVI, N. 680.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 548-550.

Ad Iohannem de Tharnaw, X Aprilis.

Petit ab eo suum consilium propter res quasdam arduas ac inprimis propter Sacrae Maiestatis Regiae literas aliquanto severiores propter Reginam ad se scriptas etc.

Illustris, Magnifice ac Generose Adfinis, Frater ac Amice nobis multis nominibus dilecte.

Quandoquidem praeteritis hisce diebus graves quaedam arduaeque res nobis (praeter omnem nostram spem atque expectationem) obtigerint, licet eadem ad Illustritatem Vestram, tanquam magnum inclitae Coronae Poloniae caput, et merito deveniant, tamen non potuimus non Illustritati Vestrae, de qua nihil non boni nobis persuasum habemus atque pollicemur, etiam pro nostra persona ex amico fraternoque affectu earundem rerum his literis adiunctas copias mittere, amice fraterneque rogantes, Illustritas Vestra in iis omnibus, pro innata sua sapientia, suum consilium nobis impartire atque communicare non dedignetur. Praeterea Illustritatem Vestram ex bona fiducia celare nolumus, nos paucos ante dies a Sacra Maiestate Regia Poloniae, Domino nostro clementissimo, propter Sacram Maiestatem Reginalem¹⁾, eiusdem consortem charissimam Dominamque^{a)} nostram gratiosissimam, literas aliquanto duriores atque severiores iam denuo accepisse. Quandoquidem autem, propter quod id fieri debeat, nobis nihil conscii simus, atque adeo cum nullum officii genus, quod ad conservandam atque augendam ipsarum Sacrarum Regiarum Maiestatum clementiam pertineat, unquam intermisimus, nobis immerentibus hoc factum putemus, amice fraterneque oramus, Illustritas Vestra hoc, quicquid est, apud Sacras Maiestates Regias in bonam partem convertere ac interpretari illisque nihil non boni de nobis persuadere, ac in posterum ne tale quippiam fiat, praecavere velit. Hoc beneficium erit nobis tam gratum quam quod gratissimum, grata erga Illustritatem Vestram officiorum vicissitudine^{b)} recompensandum. Illustritatem Vestram iam Deo Optimo Maximo, ut is eandem prosperrima valetudine optimaque fortuna quam diutissime conservet, commendamus. Datae e Regio Monte.

Cedula

Quandoquidem apud nos de rebus Hungaricis deque Serenissima ibidem Regina²⁾, Domina atque consanguinea nostra charissima, varia ferantur, eam nempe in maximo versari discrimine atque periculo, ad explorandum denique eius statum ex sanguinis coniunctione mutuaeque benevolentia Nobilem, fidelem nobis dilectum aulicum ac servitorem nostrum, Iohannem Polistzki, praesentium ostensorem, in Hungariam ablegavimus, quae vero ipse nobis retulerit, qualis ibi rumor sit, quae etiam infensissimus christianorum hostis sub praetextu defensionis ac tutelae molitur, Magnificentia Vestra (quae de his omnibus alioqui plura quam nos comperta habet) ex eodem intelliget. Cum itaque crudelis ille hostis sub praetextu, uti dictum est, tutelae tam potenti^{c)} manu tamque prope advenerit, palam etiam ac manifestum sit, quo pacto fidem datam servet, ut ea semper (oblata mediocri aliqua occasione) ad opprimendum christianos ampliandumque Regnum suum utatur, amice rogamus, si quid Magnificentia Vestra ultra haec, quae eidem aulicus noster indicabit, de his rebus comperta habuerit, benevole nobis communicare ac fideliter de iis modis ac viis cogitare velit, quo Serenissima Regina ab istis calamitatibus liberari atque a crudelissimo isto hoste tuta esse, ipsique tandem in communem Reipublicae Christianae utilitatem, quantum possibile est, resisti posset.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii
Christophorus Sangner.

a) sequitur expunctum: nostramque
b) correctum ex: vicissitudinem
c) in ms. potentia

1) Bona.
2) Isabella.

N. 1937.

E Regio Monte, 11.IV.1541.

*Albertus dux in Prussia
regi Galliae [Francisco I]
aulicum et nuntium eius, Georgium Lucken nomine, se audivisse, omnia
mandata ipsi commissa intellexisse et responsum suum per ipsum
misisse nuntiat.*

(Latine)

*(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, utrumque cum dato:
10.IV.1541, HBA, B, K. 1162).*

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 550-551.

N. 1938.

E Regio Monte, 13.IV.1541.

*Albertus dux in Prussia
Stanislao Odrowąz, palatino Podoliae,
per Ioannem Policki, propter negotia quaedam sua in Regnum Poloniae
missum, eum salutatur; novitates sibi perscribi petit.
(Sub textu: Mutatis mutandis Nicolao Syenyawski).*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 683.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 551-552.

N. 1939.

E Regio Monte, 13.IV.1541.

*Albertus dux in Prussia
Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,
litteras eius se accepisse nuntiat et rationes exponit, cur ad eas statim
non responderit; de reginae Isabellae eiusque filii infelicitate dolet;
nuntium de Nicolai Nibschitz obitu cum dolore se accepisse signi-
ficat et relictas eius vestes cui competunt tradi iubet; de Antonii
Fugger legatorum adventu eum certiores reddit etc.*

(Schedula: de sorte Hieronymi Łaski edoceri cupit).

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 489-492v.

Ahn Jobsten Ludwigen, den 13 Aprilis anno 1541 etc.
Vonwegen der geschickten der Fuoker der sachen halben, welche
noch ein zeitlanck vorruckt und einen andern tag gebeten, welcher

nac hiren gefallen in angesetzt ist worden. Es ist aber durch Hansenn Breden zu Dantzick ein entschuldigung und vortzug, nicht aus seiner herrn bevehlich, besondern als fur sich selbst gethan haben will gescheen etc.

Unsern grus und gnedigen willen zuvorn.

Edler, lieber, getreuer.

Wir haben numher in kurtz nacheinander von euch ethlich briff, der data undterscheiden stehen, oberkhummen und daraus neben andern eure frolockung, wo bey uns die hungerisschen weine und sussen getrengke sampt demjenigen, wes ir sonst uns und unserer freuntlichen, hertzgeliepten gemahel uberschigt, wol ankhummen were sampt fernern ihres inhalts, welche wir alle lengich zu erwidern und euch als der onhe das mit genugsamen, wichtigen hendeln beladen, mit vilem schreiben zu bemuhen, vor unnottig geacht, vorstanden und eingenommen. Das wir euch aber nicht ehr weder ytzunder bevorab auf die schreiben, die ir uns beyn unserm camerjungen, dem Rauther, welchem ir auch zwen gulden zu zerung gegeben, zugeschickt, daraus ir euch befart, beantworturth, derhalben ir ein beisorg getragen, das ime velleicht unterwegs etwas boses begegnet sein mocht, ist auss keyner andern ursachen hergeflossen, dan das wir itziger zeit mit^{a)} vilen hochwichtigen landt- und andern gescheften beladen gewesen, vorsehenlich (des wir auch mit gnaden begeren) ir des vortzugs keyn beschwer haben werdet. Und wollen euch in gnaden nicht pergen, das gottlob die getrenck alhie wol ankhummen, auch eins leiblichen schmags sein. Dan wir dieselben algerit versucht und habt uns daran zu gnedigem danck gethan. Doneben was ir uns zur selben zeit bey bemelthem, dem Reuthern, unserm diener, zugefertigt, ist uns alles uberandtwort worden.

Die zeitung, welche uns unser hoffdiener, Jann Politzki, aus Hungern einpracht, habet ir unsers erachtens von ihme, als ehr bey euch gewesen, nach notturft eingenommen. Daraus wir auch etzliche endrung in denen, so ir uns zuvorn zugeschriben und im vortrauen vormeldet vormercken. Das aber die lobliche, frome fraw konigin in Hungern witwen¹⁾, sampt irem jungen herrn²⁾ in solche gefערligkeit gesetzt und noch darinnen schwebet, ist uns in rechter warheit, nicht lieb. Besonder tragen mit irer ko.w. ein trewhertziges, freuntlichs mitleiden. Woe es aber zuvorn mit reyfem rathe bewogen, mocht vorhafflich durch gotlichs vorleyhung und hulf dem vorkommen seyn, welchs unsers vormuthens itzo nicht leichtlich herwider zu prengen. In summa, es were romischen, hungerischen und^{b)} polnischen ko.mten, unserm einfeldigem bedencken nach, gerathener gewesen, das die sachen ahne krig, in freuntlicher underhandlung ire entschaft gewonnen, damit der Turck zu diesem seynen gewaltigen zuge in Hungern nicht vorursacht worden, auch die christenheit sich umb sovil weiniger gefערligkeit zu vormuthen, den Almechtigen bidhendt, ehr wolle alle sachen nach seinem gotlichen willen zum besten und fridlicher einigkeit schicken etc.

Was unser deputat, die viertausent gulden betrifft, lassen wir disselb in seinem bescheidt beruhen und haben daran das uns dasselb von euch gar zur genuege vorreichent wirt werden, keinen zweifel etc.

Des erbarn und ervhesten unsers raths Nickel Nipschitzen von Bartzsch (des selen und uns allen der Almechtig gnedig und barmhertzick zu sein geruche) haben wir mit gnedigem mitleiden angesehen, das wir ahn seiner person gar einen getreuen diener gehabt, vornhammen

wolten, ime auch dehalben, wo es des Almechtigen will, seher wol sein leben lenger gegont haben. Weil es aber sein veterliche verordnung, mus es demselben befolen und ergeben sein. Auch wissen wir nicht anders, dan das ime alle sein hinderstellige dinstgelt entrichtet. Das im aber auf sein anlangen die hundert gulden auf die kunftige dinstgelt, welchs itzunder allerst im 41 angangen und im zwienundviertzigisten ausgangen, durch euch erlegt hetten sollen werden, gern ist aus gnedigem willen, domit wir seyner person gewogen gewesen, als zur zerung gescheen. Ir habt gleichwol zu erachten, nachdem ehr dasselb, wie gemelt, mit seinem leben nicht erreicht, das uns solchs hinzugeben ungeliegen. Mit der cleidung aber, weil dieselb gegeben, werdet ir auch euer bescheidenheit nach wol zu halten und denjenigen, welchen solche von erblicher gerechtigkeit zukumpt, zu uberreichen wissen.

Wie ihr nun in^{c)} eurem briefen Marxen Rellingers handlung gedencken thut, ist nicht ohne. Es sein verruckter zeit bey uns des edlen unsers besondern geliepten Anthonii Fuckers herrn zu Weissenhorn etc. volmechtige gesanthe alhie gewesen und ist mit allem vleis der handel inhalt jungstes in euer gegenwertigkeit gegebenen abscheids angefangen und doch nach zur zeit nichts entlichs ausgericht, sonder die sachen derhalben ins recht gedien, wie in dan von iren fuckerisschen gesandten sonder zweifel seid der zeit genugsam, welcher gestalt es vorpliben, vorstendigt. Nichts minder ist von inen weither ein ander tag gebieten und nach irem gefallen angesetzt worden. Es ist aber durch den ersamen unsern lieben besondern Hannssenn Bredenn zu Dantzick ein entschuldigung und vortzogerung, welchs ehr nicht aus seiner herrn, der Fucker, bevehlich, besonder als fur sich selbst gethan haben wil gescheen. Und man teglich auf der gesanthen ankunft warthen thut, welchs gleichwol dem gegentheil nicht weinick beschwerlick und uns derwegen oftmals undtertheniglichen ersuchen lassen. Mochten hierumb wol leyden, das die sache einmals ire entschafft erreichen ^{d)} thete.

Das euch in der Tornisschen Heydenn von dem misgunstigen und boshertigen vorgewartet und gleichwol Got, der Almechtige, dem pillich darfur zu dancken, euch mit gnaden, des wir dan gantz gern vornommen, davon geholfen^{e)}, und mus gewislich einjder, dieweil wir in der welt gewertig sein, das ehr hasser und lieber hat. Es ist aber alwegen nach dem alten sprichworth besser, das man einen neid dan beclage. Es namhen auch in warheit solche leuth, die sich mit dergleichen narungen und plackerien erhalten iren pilligen lohen, darzu wir dan gern alle hendige furderung, woe sie zu bekhomen, thun wolthen.

Was weiters anlanget die zuschickung des silbers, das ir dasselbige mutwillig, wo irs bekhommen kunt, uns zum besthen einkeufen wollet, nhemen wir solch euer geneigt gepurlich gemuth zu gnedigem gefallen ahn. Und wiewol nicht ohn ist, das uns Hannss Wunsam etzlich silber zufurth, so wollen wir uns doch vorsehen, ir werdet ahn eueren fleiss disfals auch nichts (wie biss anhere treulichen beschehen) erwinden lassen, auf das dem handel umb sovil stadtlicher nachgegangen werde etc. Dagegen wollen wir uns aller gnedigen gepurlichen vorgeleichung erzeigen vonwegen der falschen muntz, das sichs derhalben etwas wurderrlich einreyst und seltzam zugehet, haben wir sehr ungerne gehart, das solcher betrugk nicht zu geringen vofang gemeynes nutzes also ungestraft bleibt, und mochten, wo es Gottes will, wol leiden, das einmahals die reiche undter die herschaft, welcher sie von erblicher gerechtigkeit zu-

gehoren^{d)} und von Gott gegoent, khommen, domit dis ubel, welchs warlich nicht das geringest ist, einsmahals abgeschafft und gestraffet werden mocht.

Wir wollen euch auch hirneben nicht vorhalten, das weitleuftig ahn uns gelangt, wie etzliche muntzergesellen zu Breslaw einkhummern und gericht. Undter welchen einer gewesen, der bey uns alhie hat arbeitthen, aber inen die andern muntzer nicht leiden wollen. Doch wissen wir nicht endtlichen, welcher gestalt es domit im grundt gelegen, vorsehenlich ir als der nahe gesessene davon claren bescheit haben und uns alsdan desselben wilhaftig machen werdt, und woe hirnachmals der neuen thaler, die zur Schweidnitz geschlagen sollen sein worden, zuwegen bringen konth, uns derselben darnach haben vor schaden zu hoten, nichts minder die unsern zu vorwarnen ubersenden und ob schon die von Preschlaw bisweilen muntzen, so sollen sie doch auch widrum in einen monat mehr oder weinigen wol keynen straiach thun. Thun uns aber gleichwol in gnaden der uberschickten copien des briffs, so der herr woywod etc. von Crackaw nemblichen^{e)} tag ahn einen rath dar selbst vonwegen der falschen muntz geschriben, bedancken. Vorhofflich der Almechtig werd solchs alles zu seiner zeit ungestrafet nicht lassen.

Als ir ferner melden thut, das ir abnemen kont, wo sich algereidt leuthe bey uns ahn bemelts Niptischitzen stadt furdern lassen etc., wollet ir in warheit glauben, das sichs nach zurzeit bey uns nicht ereuget. Dieweil ir aber aus treuhertziger, guther wolmeynung bedencken habt, wes uns bey ko.mt. zu Polann unser allenthalben gnediger herrschaft vor leuth wol vonnothen, fallen wir demselbigen bey und ist derhalben unser gnedigs sinnen, ihr wollet uns disfals gutwillige mittheilung thun. Nachdem euch bewust, das ko.mt. hochgedacht nicht allewege zu Crackaw und sich die zuge bisweilen vorendern, wehr uns wol dinlich zu gebrauchen und derselbige dannoch alzeit, die weysse und hofflager worden geendert, ader nicht, stets ahn hoffe sein mocht. Bedancken uns euers wolmeinenden erpietens gegen unser person hochlichen. Solt uns auch herwidrum in alwege, wie bishere verhofflich^{b)} und one rhum gnediglich bescheen, in aller gutwilligkeit befinden. Wo uns auch euer person ohne beschwerung euers leibes und gesundtheit solcher gestalt, wie gemelt, dienen kont und zu dienen nicht beschweret, wusten wir unser vertrauen in euch, als den vortrauten, vor andern wol zu stellen.

Wie ir in letztem eurem schreiben, das datum stehet den 28 Marcii vermeldet, das ir unserem diener, dem Politzki, (domit ehr umb sovil bas vonstathen kommen) 10 gulden geligen, hat uns bemelth unser diener solchs selbst angezeigt und habet uns daran zu gnedigem danck gethan. Weil aber unser gnedigs vertrauen gegen euch unvorruckt stehet, werdet ir euch und anders, so wir euch pflichtig, von unserm deputat zu vorgnugen und uns den ubrigen rest in guther rechenschaft wol zu ubersenden wissen und wolthen euch, als dem wir mit allen gnaden gewogen, solchs auf eure schreiben in andtwort nicht vorhalten, dan euch und den euren gnedigen willen zu beweysen sein wir gneigt. Datum Konigspergk ut supra.

a) *in margine.*

b) *in margine.*

c) *supra lineam.*

d) *sequitur correctum*: mocht

e) *verbum correctum.*

f) *in margine.*

g) *in margine.*

h) *verbum correctum.*

1) *Isabella.*

2) *Ioannes Sigismundus.*

Cedula

Nachdem auch ahn uns gelangt, wie her Geronimus Laske gefangen sein soll, welches, wo dem also, nicht lieb, gunthen es auch seiner person fast ungerne, aber unser gnedigs begern ist, wollet uns^{a)}, was ahn dem den grunth, bey erster zuvelliger botschaft vorstendigen.

Commissio Principis ex
relatione Cancellarii.

a) *supra lineam.*

N. 1940.

E Regio Monte, 14.IV.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

pro Bartholomaeo Vogt, Iacobo Reuther et Valentino Polkein, civibus Cnipaviensibus (« Regii Montis Kneiphoff »), cum episcopo Varmiensi [Ioanne Dantisco] de hereditate a defuncto Georgio Langerbein relicta causam habentibus, intercedit et rogat, ut eis auxilio esse velit, quo eo citius iustitiam consequantur.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 553-554.

N. 1941.

E Regio Monte, 15.IV.1541.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Chelmensi, R.P. vicecancellario,

commendat causam Bartholomaei Vogt, Iacobi Reuther et Valentini Polkein, civium Cnipaviensium.

(Schedula: de reginae Isabellae calamitatibus et de auxilio ei ferendo).

Cfr. El. XXXVI, N. 679.

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 554-559.

Litterae omittuntur.

Schedula:

Quandoquidem ad nos de Serenissimae Reginae Hungariae, Dominae Isabellae, Dominae atque consanguineae nostrae charissimae, periculis varia ferantur, quae ex naturali sanguinisque coniunctione magno cum dolore accepimus, ex qua coniunctione ac amico obsequio commoti, ad Reginalem eius Maiestatem Nobilem, fidelem nobis dilectum aulicum ac servitorem nostrum, Iohannem Bolitzken¹⁾, explorandi foelicis eius omnibus in rebus successus gratia literis nostris ablegavimus. Qui iam re-

diens a Reginali ipsius Maiestate vicissim literas ac responsum nobis attulit atque ea, quae de Reginalis eius Maiestatis gravaminibus ac molestationibus vulgo sparsa sunt, non omnino vana fuisse et adhuc esse rettulit. Quibus de rebus sane maxime sumus turbati atque perterriti. Ad haec nobis indicavit crudelem christiani sanguinis et nominis hostem, Turcam, sub praetextu tutelae, quasi ipsius Reginalem Maiestatem ac iuniorum Dominum²⁾ in iis Regnis conservari velit, magnam copiam militum in Hungariam et ad capita ibi regnantia misisse. Ob quam rem laudatissime nominata Domina Regina, uti ex aulico nostro accepimus ac ipsi facile conicere possumus, non parum maeroris atque tristitiae accepit. Ac sine dubio propterea quaedam in hanc sententiam sequentia nominato nostro aulico nobis referre iniunxit atque demandavit, videlicet cum cerneret atque videret, quomodo Reginalis ipsius Maiestatis, proch dolor, res omnes sitae essent quibusque ea in periculis versaretur, Reginalem ipsius Maiestatem demandare, ut nos ipsius nomine oraret, quo in Reginalis ipsius Maiestatis commodum Sacrae Maiestatis Regiae Poloniae, Domini et avunculi nostri charissimi, consilium atque auxilium quaeremus ac implorarem, ut Sacra ipsius Regia Maiestas, tanquam pater charissimus, has Reginalis ipsius Maiestatis calamitates atque aerumnas ad animum revocare ac paternis oculis inspicere viasque quaerere velit, quomodo Reginalis ipsius Maiestas ex his omnibus auxilio divino liberari posset. Quamvis vero Serenissima Domina Isabella^{a)} etc. in suis ad nos literis nullam de his mentionem fecerit, quod nunc sic hanc curam gerere atque timere cogamur, aulicum nostrum ea omnia non adeo integre ac recte accepisse atque propterea sic non nihil errare, praeterea scimus Sacram Maiestatem Regiam seniore, tanquam laudatissimum sapientissimumque Regem, nobis etiam non momentibus se talem dilectae suae filiae exhibere, qualem patrem deceat, quapropter istas sollicitationes intermittere possemus, tamen nos rursus amor sanguinisque coniunctio cogit adeo etiam, ut prorsus tacere nequeamus, ne fortasse nostro silentio quid negligatur, quod postea commiseratione (quod Deus prohibeat) dignius esset. Quare amice fraterneque oramus, cum Sacra Maiestas Regia Poloniae, Dominus noster clementissimus, de istis Serenissimae Reginae calamitatibus ac molestationibus tantam certitudinem non haberet atque Reverendae Paternitati Vestrae consultum videretur ea haec omnia, quorum supra mentio est facta, Sacrae Maiestati Regiae indicare, eandemque orare velit, ut per fida amicaeque media ac vias commodas Reginali ipsius Maiestati subveniatur. Nam quamvis Turca sub praetextu defensionis ac tutelae ibi appareat, Reverenda tamen Paternitas Vestra scit, qualem fidem servare soleat. Si igitur in hunc regium sanguinem gravius quiddam quam factum est (quod Deus avertat) committi deberet, maxime commisereremur, cui sane libentius succurri quam etiam optima sanitate frui malle. Quodcumque autem in hoc Reverendae Paternitati Vestrae optimum et consultissimum videbitur, id Reverendae Paternitati Vestrae Sacrae Maiestati Regiae annuntiare aut apud se continere relinquimus. Nam de Reverenda Paternitate Vestra (quam nunc Deo Optimo Maximo commendamus) nihil non boni nobis persuasum habemus atque etiam experimur. Datum ut in literis.

Commisio Principis propria.

Magister.

a) in ms. Isalla

1) Poltcki.

2) Ioannes Sigismundus.

N. 1942.

E Regio Monte, 18.IV.1541.

Albertus dux in Prussia

*Iusto Ludovico Decio, monetæ regiae præfecto,
de puteo novo in arce Regiomontana construendo et de lapidibus ac
bonis lapicidis ad hoc opus conficiendum Cracovia sibi mittendis.*

(Germanice)

Cfr. El. XLVIII, N. 407.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 493-493v.

N. 1943.

E Regio Monte, 23.IV.1541.

Albertus dux in Prussia

*Samueli Maciejowski, episcopo Chelmensi, R.P. vicecancellario,
pro subdito suo Francisco Schönefeld, cive Veteris Oppidi Regii Montis,
cum Andrea Schultze, cive Caunensi, propter cineres quosdam causam
habente et propter appellationem a reo factam coram iudicio regio
comparere debente, intercedit et rogat, ut eum nonnullis consiliariis
regiis commendet.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 559-560.

N. 1944.

E Regio Monte, 30.IV.1541.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, exercituum R.P. capitaneo,
litteras eius, 7.II.1541 datas, sibi allatas esse nuntiat et pro studio in
curandis negotiis suis adhibito gratias agit; officia offert; novitates
sibi significari cupit.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 669.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 561-562.

N. 1945.

E Regio Monte, 30.IV.1541.

*Albertus dux in Prussia
Stanislao Odrowąz, palatino Podoliae,
pro litteris, Iaroslaviae, 6.IV. currentis anni datis, et pro singulari erga
se benevolentia ex eis spirante gratias agit; excusationem eius de
mora in mittendo responso interlapsa clementer acceptat; pro trans-
missis castellani Cracoviensis [Ioannis Tarnowski] litteris et novita-
tibus ex Podolia gratias agit; Hieronymum Łaski adhuc apud Turcas
incolumem esse gaudet.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 676.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 562-563.

N. 1946.

E Regio Monte, 30.IV.1541.

*Albertus dux in Prussia
Nicolao Sieniawski, castellano Belsensi, capitaneo Haliciensis,
pro litteris, singulari erga se humanitate plenis, et pro communicatis
novitatibus gratias agit; se pariter benevolo in eum esse animo
affirmat.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 670.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 563-564.

N. 1947.

E Regio Monte, 5.V.1541.

*Albertus dux in Prussia
Stanislao Odrowąz, palatino Podoliae,
rogat, ut culinae suae magistro, Antonio Lehwalt (Lebwelt), in coemendis
in Podolia et in Ducatum suum adducendis bobus, culinae suae nec-
cessariis, auxilio esse velit.*

(In margine supra: et mutatis mutandis Capitaneo in Halitzsch [Ni-
colao Sieniawski]).

Cfr. El. XXXVI, N. 695.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 564-565.

N. 1948.

E Regio Monte, 5.V.1541.

*Albertus dux in Prussia
universis et singulis*

litterae passus Antonio Lehwalt (Lebwelt), culinae suae magistro, in Podoliam ad boves coemendos misso, datae.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 565-566.

N. 1949.

E Regio Monte, 6.V.1541.

Albertus dux in Prussia

Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,

de boum ex Masovia exportatione interdicta et de vetusta consuetudine eos in foro Soldaviensi libere vendendi et emendi non observata et vetita nuntiat; Antonium Lehwalt (Liebwalth), coquinae suae praefectum, in Podoliam et Poloniam ad boves ibi coemendos mittit et rogat, ut ei in hoc negotio expediendo auxilio sit et necessariam pecuniae summam ex debito sibi a rege annuo salario persolvat.

(Germanice)

Cfr. El. XLVIII, NN. 408, 409.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 493v-494.

N. 1950.

E Regio Monte, 11.V.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

die regundorum finium ad festum sanctorum Petri et Pauli (29.VI.) a rege iam statuto, orat, ut commissarii regii ad istam diem deputati sibi nominatim significantur et indicentur.

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 233.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, f. 567.

N. 1951.

E Regio Monte, 12.V.1541.

Albertus dux in Prussia
Senatui civitatis Vilnensis

pro relicta Ioannis Ostendorff vidua Agnete, cive Cnipaviensi, cuius filia ab adolescente quodam, Iacobo Hoffman nomine, dulcissimis verbis, « amatoriis illis gestibus atque sermonibus » illecta et gravida deserta est, intercedit et rogat, ut auctoritate sua dictum adolescentem, Vilnae nunc degentem, adigere velint, quo factorum suorum reddat rationem, promissis datis stare et infelici puellae nubere cogatur.

(Sub textu: Mutatis mutandis Doctori Hasen).

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 568-570.

N. 1952.

E Regio Monte, 27.V.1541.

Albertus dux in Prussia
Ioanni Radziwiłł, capitaneo Samogitiae,

pro relicta Ioannis Feierabent vidua Anna, causam de bonis Gibertybch cum heredibus nobilis Ioannis Raczkowicz habente, intercedit et rogat, ut propter viduae gravidantiam et instantem partum terminus causae differatur.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 570-571.

N. 1953.

E Regio Monte, 1.VI.1541.

Albertus dux in Prussia
Samueli Maciejowski, episcopo Chelmensi, R.P. vicecancellario,
de negotio suo a legato regio in Comitibus Ratisbonensibus nondum tractato.

(Schedula: de subditorum regis in Ducatum suum « ultra granitiem » irruptione queritur).

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 572-573.

Ad Samuelem Maczievski, Vicecancellarium, I Iunii.
De iis, quae Ratisbonae acta sunt.

Reverende in Christo Pater, Amice ac Frater nobis perchare.

Etsi argumentum scribendi Reverendae Paternitati Vestrae adeo conveniens hoc tempore non habeamus, tamen oblato hoc nuntio tam oportuno, non potuimus non Reverendam Paternitatem Vestram propter mutuum amorem vereque fraternalem amicitiam^{a)} hisce nostris literis invisere, cuius valetudinem prosperrimam foelicemque omnibus in rebus successum ex animo semper cupimus. Porro Reverendam Paternitatem Vestram latere nolumus, quod adveniente isto tabellione nuncius aequae noster pedarius Ratispona advenerit, qui nobis inter alia nihil [attulit], quam nobilem ac Generosum Stanislaum Matziewski etc., Reverendae Paternitatis Vestrae fratrem ac Sacrae Maiestatis Regiae, Domini nostri clementissimi, legatum, Ratisponam venisse, verum secundo Maii, quo hae datae sunt literae, negocia sibi mandata nondum proposuit, neque nostra in causa agi quicquam ceptum est. Quid vero legatus a Sacra Romanorum Regia Maiestate¹⁾ scribendi ad Sacram Romanam Caesarem Catholicam Maiestatem²⁾ impetrarit, quae etiam alioqui nova habentur, Reverenda Paternitas Vestra ex his literis adiunctis copiis intelligere potest. Amice fraterneque oramus, si quae Reverenda Paternitas Vestra de nostra causa vel alias de Comiciis Ratisponensibus comperta habeat, nobis fraterne communicare velit. Si quae vicissim Reverendae Paternitati Vestrae grata officia praestare possumus, id facere nunquam intermittemus. Christus Reverendam Paternitatem Vestram foelicissime diu servet^{b)} incolumem. Datae e Regio Monte, ut supra.

Cedula

Scribit Clepodienses novas granities signare.

Scripsit nobis eo ipso die, quo has literas scribi iussimus, Capitaneus noster in Mummel, quod alias communiter Clepoda appellatur, Sacrae Maiestatis Regiae subditos in nostrum Ducatum longe ultra granitiam irruisse ac in iis etiam locis, de quibus antea nullum unquam dubium fuit, quae etiam adhuc hodie ad nos pertinere manifestissime constat, arbores ad demonstrandum graniciem signasse. Postquam vero Capitaneus noster eos propterea alloquutus sit causamque, cur hoc facerent, quaesierit, nihil responderunt aliud, quam quod Dominus ipsorum (quod tamen non credimus) eos hoc iusserit. Quandoquidem autem varii errores oriri queant, amice fraterneque oramus, Reverenda Paternitas Vestra apud Sacram Maiestatem Regiam, Dominum nostrum clementissimum, omni studio, sicut non dubitamus, tantum efficere velit, ut tale quippiam in posterum praecaveatur ac istud ipsum, quod est factum, mutetur. Reverenda Paternitas Vestra valeat prosperrime. Datum ut in literis.

Commissio Principis propria.

C. Sangner.

a) *in ms.* amicitiam

b) *in ms.* servat

1) *Ferdinandus I.*

2) *Carolus V.*

N. 1954.

E Regio Monte, 3.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori
pro Conrado Truchsess, aulico regio, intercedit et rogat, ut ei rex longio-
rem ab aula absentiam, variis rationibus causatam, ignoscat et pro
excusato eum habeat.*

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 235.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 579-580.

N. 1955.

E Regio Monte, 3.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

*Iacobo Ferdinando Bariensi, physico regio,
pro consilio, circa morbum cuiusdam aulici sui medicis suis dato, gratias
agit et munus mittit.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 574-575.

N. 1956.

E Regio Monte, 3.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

*Stanislao Odrowąż, palatino Podoliae,
pro binis litteris eius, quarum unae propria manu scriptae erant, et pro
missis novitatibus gratias agit; negotia sua in proxime futuris Regni
Comitiis commendat.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, NN. 682, 683.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 575-577.

N. 1957.

E Regio Monte, 3.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Sieniawski, castellano Belsensi, capitaneo Halicienski,
salutem dicit; nova sibi perscribi expetit; excusat se, cur feras mittere
non possit.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 577-579.

N. 1958.

E Regio Monte, 6.VI.1541.

Albertus dux in Prussia
Stanislao Łaski, castellano Przemętsi,
pro litteris, singulari erga se benevolentia plenis, gratias agit; rogat, ut
de statu fratris eius Hieronymi se certiozem reddat.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 685.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 580-581.

N. 1959.

E Regio Monte, 6.VI.1541.

Albertus dux in Prussia
episcopo Chelmensi [Samueli Maciejowski]
pro Nicolao Russocki, castellano Biechoviensi, intercedit et rogat, ut eum
regi ita commendat, quo in pristina regia gratia, privilegiis et legi-
bus, a praedecessoribus regis ei concessis, conservari possit.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 581-582.

N. 1960.

E Regio Monte, 6.VI.1541.

Albertus dux in Prussia
Ioanni Nibschitz
Franciscum Schier, servitorem suum et defuncti Nicolai Nibschitz ipsius-
que nepotem, commendat, ut relictam a defuncto patruo pecuniam
obtinere possit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 494-494v.

N. 1961.

E Regio Monte, 7.VI.1541.

Albertus dux in Prussia
Severino Boner, castellano Biecensi,
Franciscum Schier, fidelem servitorem suum, ad expedienda quaedam
negotia ad eum proficiscentem, commendat.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 495-495v.

N. 1962.

E Regio Monte, 7.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

*Georgio Hegel, civi Cracoviensi, Fuggerorum factori,
nomine Francisci Schier, servitoris sui, rogat, ut expiscari velit, an ei
a defuncto avunculo eius, Nicolao Nibschitz, legatum aliquod fortassis
relictum sit.*

*(In margine supra: Disse copien hirnach folgen seyn eyne zeitlang
vorlaren gewesen).*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 499v-500.

N. 1963.

E Regio Monte, 11.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

*rogat, ne rex diem regundorum finium amplius differat et ut nomina
commissariorum ad id negotium expediendum designatorum sibi nota
reddat, ad alias quasdam subditorum regionum querimonias respondet.
Cfr. El. XXX, N. 233.*

*(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162, et Germanicum, HBA, B, K.
1161).*

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 583-587.

Ad Regem Poloniae propter diei regundorum finium dilationem et
alia quaedam gravamina, XI Iunii.
Serenissime Rex, etc.

Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae literas, in quibus eadem praescriptum
regundorum finium diem mihi renunciat eundemque ad Exaltacionis
Crucis differt²⁾, ab eiusdem camerario paucos ante dies omni humilitate
debitaque reverentia accepi earundemque summam ac tenorem summa
diligentia perlegens accepi. Ego vero, ut ingenue fatear, istam dilatio-
nem propter plurimas humilimasque meas petitiones, summas necessi-
tates ac maxima utriusque partis subditorum gravamina nullo modo spe-
rassem, praesertim cum ego antea istud tempus ad hoc conficiendum
negocium propter multas incommoditates inconveniens iudicaverim, sed
ista mea sententia Sacrae Maiestati Vestrae Regiae sufficiens non est
visa. Credidissem igitur potius, Sacram Maiestatem Vestram Regiam
propter enumeratas causas, quo plurima, quae inde sequi solent peri-
cula, vitarentur, suos commissarios regundorum finium causa ad praes-
scriptum diem missuram fuisse, quemadmodum ego me cum meis ad
hoc conficiendum iter non parvis sumptibus sufficienter preparavi, adeo
ut quidam³⁾ meorum etiam in itinere fuerint, ea spe firma inductus,
quod huiusmodi instituta dies initium suum consequi, aut saltem dila-
cio ista mihi paulo citius indicari debuisset. Posteaquam vero Sacrae
Maiestati Vestrae Regiae sic placeat, oportet, ut et mihi placeat atque
causam non Sacrae Maiestati Vestrae Regiae, sed potius iis, qui inter

eandem ac me et utriusque subditos seminare discordias student, impu-
tem necesse est, humiliter summoque studio orans, Sacra Maiestas
Vestra Regia, quantum in hoc negotio situm est, clementer considerare
atque istum regundorum finium diem non solum diutius non differre
(quemadmodum Sacra Maiestas Vestra Regia in literis suis pollicetur),
sed etiam curare dignetur, ut granicies tandem ad novum illum praescrip-
tum diem, secundum^{b)} initos^{c)}, literis sigillisque confirmatos contractus,
inspiciantur atque determinentur, atque eos, quos tunc temporis de suis
mittendos constituerit, mihi significari faciat; nihil minus etiam suis
capitaneis severe demandare atque iniungere velit, cum varii errores et
altercationes propter prava et his similia accidant, ab irruptionibus ac
incurSIONibus posthac^{d)} abstineant meque ultra non lacessant, sed in
quieta possessione permanere sinant. Praeterea ea, quae sequestrationi
sunt ordinata, ut sic, quemadmodum antea conclusum est, maneant^{e)} ac
tandem suo tempore debito modo exequantur. Nam cum haec isto
pacto (quod tamen minime spero) non fierent, Sacra Maiestas Vestra
Regia, tanquam Rex christianissimus atque laudatissimus, facile conice-
re posset, quod non solum in utriusque partis miserorum subditorum,
sed etiam mei iusticiaeque meae maximum praeiudicium vergerent, quae
scio Sacram Maiestatem Vestram Regiam mihi meisque non favere.

Quod vero Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae literis impositam sche-
dulam atque missas^{f)} illas accusationes attinet, nihil aequè maluissem,
quam istum granicierum diem finem suum consequutum fuisse, quo
eiusmodi et his similibus accusationibus auditis ac compositis, tandem
veritas elucere et qui iustus aut iniustus esset, cerni potuisset. Quando-
quidem autem ante annum Reverendo in Christo Patri, Domino Episco-
po ex Samagithia^{g)} a Sacra Maiestate Vestra Regia ad me misso legato,
ad praecipua puncta et articulos istarum accusationum supra nomina-
tarum veram fundatamque responsionem ac declarationem reddiderim
(sicuti non dubito Sacram Maiestatem Vestram Regiam a nominato Do-
mino Episcopo haec omnia sufficienter intellexisse clementerque propte-
rea contentam esse), supervacaneum iudico ea nunc denuo odiosa enu-
meratione repetere Sacramque Maiestatem Vestram Regiam his obtundere.

Quod autem Gedanenses, Rostoccenses, Wismarenses, Nurmbergenses,
Livonienses aliaque peregrina gravamina attinet, non parum miror,
quod ea, quae ad me prorsus non spectant, mihi impingantur atque
ad ea responsio a me postulatur, nihil tamen dubitans, quin Sacra
Maiestas Vestra Regia suis civitatibus et subditis, quomodo et quales
se in hac re gerere debent, pro sua oportunitate demandare atque iniun-
gere sciet. Quod vero novum theloneum in Schwabenn a me erectum di-
catur, non possum hoc a me constitutum, vel etiam ullum theloneum
ibi unquam acceptum esse, meminisse. Quapropter humiliter dediteque
oro, Sacra Maiestas Vestra Regia mihi significari faciat, quisnam eiusmo-
di theloneum dederit et cui datum sit, quo debitam diligentiam, has
res praecavendo, adhibeam, siquidem sciens certe contra contractus quid
facere aut constituere nolim.

Istius etiam mandati, quod meis sub poena capitis interdixisse di-
car, ne Sacrae Maiestatis Vestrae^{h)} Regiae subditis mel et alia sylvestria
bona, etiam numerato pro iis theloneo, dimittant, vere recordari non
possum, nisi quod ipsis pantheres, martes, vulpes et his similes feras
ad me pertinentes et quae semper ad superioritatem pertinuerunt^{h)}, aliis
vendere prohibitum sit, absque hoc aequè Sacrae Maiestatis Vestrae Re-
giae subditis ac meis iis in locis, quibus decet, libera bona emere ac

vendere liberum atque concessum est. Multo etiam minus meminisse possum, quod propterea aliquis capite plexus sit, sicut Dominus Episcopus ex Samagithia hoc vidisse dicitur. Post plenam tamen ac perfectam istius rei inquisitionem ac cognitionem Sacrae Maiestati Vestrae Regiae per oportunitatem respondebo.

Ac quamvis de multis gravaminibus variisque iniuriis, quas Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae subditi mihi ac meis iniquissime fecerunt, conquiri necesse habeam, haec tamen omnia, nisi denuo lacessitus fuero, ad granicierum determinationem differam, humiliter dediteque sperans, Sacram Maiestatem Vestram Regiam istud negotium propter commune bonum ac utriusque partis summam et utilitatem et necessitatem diutius non protracturam, sed suos commissarios ad novum iam denuo praescriptum regundorum finium diem clementer missuram. Haec erga Sacram Maiestatem Vestram Regiam, ut Dominum meum clementissimum, ego, tanquam fidelis vasallus Princeps, omnibus fortunis et corporis et animi bonis demereri studebo. Quam Christus in prosperrima valetudine optimoque regimine¹⁾ quam diutissime ac foelicissime conservare dignetur. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria
Christophorus Sangner.

a) in ms. quidem

b) sequitur expunctum: int

c) correctum ex: inuitos

d) sequitur littera expuncta.

e) in ms. maneat

f) correctum ex: admissas

g) sequitur expunctum: Maiestatis

h) in ms. petinuerunt

i) in ms. regime

z) sic in ms.

1) Venceslaus Wierzbicki.

N. 1964.

E Regio Monte, 11.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,

ob episcopatus Plocensis ei collatam dignitatem gratulatur; rogat, ut negotium regundorum finium apud regem promoveat, quo ad statutum diem tandem perficiatur.

(2 schedulae: 1. mittit exempla gravaminum regionum; 2. de negotio abrogandae proscriptionis).

Cfr. El. XXXVI, NN. 687, 690.

(Adest conc. Latinum, cum dato schedularum: 11.VI.1541, HBA, B, K. 1162, et Germanicum schedulae 2, HBA, B, K. 1161).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 588-593.

Ad Samuelem Mazievski.

Gratulatoria propter adeptum episcopatus Plocensis honorem.

Orat, ut apud Sacram Poloniae Maiestatem propter determinandos limites instare velit. XI Iunii.

Syncerum planeque fraternum affectum ac quicquid alioqui grati praestare possumus, Reverende in Christo Pater, Amice ac Frater nobis perchare.

Literas Reverendae Paternitatis Vestrae, Vilnae prima Iunii datas, septimo eiusdem mensis praesentis istius anni accepimus, neque sine magna animi loeticia¹⁾ earum tenorem ac summam percepimus. In quibus illud nobis praecipue iucundum fuit, quod Reverendam Paternitatem Vestram egregia illa episcopatus scilicet Plocensis dignitate adauctam, nobisque sic vicinum peroptatum factum esse cognoverimus. Quod utrique foelix ac faustum sit, Deum praecamur.

Porro Reverendae Paternitati Vestrae propter splendidum illum adeptum honorem gratulamur plurimum multumque foelicitatis ex animo optamus. Faxit Deus Optimus Maximus, misericors Dominus ac largitor rerum omnium, ut in primis ad ipsius gloriam (quo omnia merito redigi debent), proximi commodum Reverendaeque Paternitatis Vestrae animae salutem, vergat. Firmiterque speramus nostrum illum fraternum amorem arctamque amicitiam illa vicinitate indes crescere, augeri, in perpetuumque conservari. In nobis certe quod erit, nullum unquam officii genus Reverendae Paternitati Vestrae praestare intermitteremus, multoque minus Reverendam Paternitatem Vestram a more solito, promissis et factis unquam fore alienam dubitamus.

Causam, quare Reverenda Paternitas Vestra nobis cum isto nuntio Serenissimi Romanorum Regis¹⁾ literarum copiam ad Sacram Romanam Caesaream et Catholicam Maiestatem²⁾ mittere non potuerit, intelleximus. Et perplacet sane nobis Reverendae Paternitatis Vestrae in omnibus etiam gratificandi illa promptitudo. Quapropter eidem gratias agimus maximas, amice fraterneque orantes, Reverenda Paternitas Vestra nobis adhuc (sicut pollicita est) per oportunitatem earum exemplum mittere velit.

Sacra Maiestas Regia Poloniae, Dominus noster clementissimus, nobis proxime iam praescriptum regundorum finium diem renunciavit, omnium rerum ad victum pertinentium poenuriam¹⁾ praetendens, distulit autem ipsius Sacra Regia Maiestas hoc negocium in diem usque Exaltationis Crucis. Cum²⁾ itaque ex inordinatis illis graniciebus (uti Reverenda Paternitas Vestra scit) multi errores quotidie magis ac magis eveniant variaque pericula et damna utriusque partis subditis accidant, amice fraterneque oramus, Reverenda Paternitas Vestra propter communem utilitatem apud Sacram Maiestatem Regiam instare velit, ut hoc tandem negocium regundorum finium ad novum iam praescriptum diem Exaltationis scilicet Crucis perficiatur. In hoc Reverendaque Paternitas Vestra nobis gratissimum faciet opusque bonum operabitur. Cui nunc prosperam ac vitam diuturnam omnibusque in rebus successum foelicem peroptamus. Datae e Regio [Monte], ut supra.

a) correctum ex: Cumque
2) sic in ms.

1) Ferdinandus I.
2) Carolus V.

Cedula

Reverendam quoque Paternitatem Vestram certiore reddimus, nos in Sacrae Maiestatis Regiae, Domini nostri clementissimi, literis iam ad nos scriptis cedulam et libellum quendam, nonnullas querelas et gravamina subditorum Magni Ducatus Lithuaniae in se continentem, invenisse. Quarum copias, literis A et B signatas, his adiectas¹⁾ Reverendae Paternitati Vestrae transmittimus. Nos vero mirari satis non possumus, quo consilio aut instinctu istud fiat, quod ea nobis imputentur, quae ad nos minime pertineant, sicuti Reverenda Paternitas Vestra ex iisdem copiis percipiet. De iis vero quaerelis, quae ad nos nostrosque subditos

pertinent, dedimus Maiestati Suae praeterito anno per Reverendissimum Dominum Episcopum Mednicensem¹⁾ clarum ac sufficiens responsum, firmiter sperantes, Maiestatem Suam Regiam huiusmodi responsum a Reverenda Paternitate Vestra clementer accepisse atque eo ipso contentam fuisse^{b)}. Ut autem Reverenda Paternitas Vestra, quale negocium istud sit, facilius cognoscere possit, nolimus praetermittere, quin earum quaerelarum ac libelli nostri responsorii copias, C et D notatas, Reverendae Paternitati Vestrae una cum his transmitteremus, ut, si ad Maiestatem Suam Regiam tale responsum nostrum delatum antea non esset, de eo nunc facilius per Reverendam Paternitatem Vestram informari queat. Proinde cum non dubitemus, quin Reverenda Paternitas Vestra pro fraterno suo erga nos studio nobis hac in re haud gravatim gratificatura sit, rogamus eandem amice ac fraterne, ut coram Sacra Maiestate Regia causam nostram ea diligentia proponere velit, ut et intelligat, quantum animus noster a iusticia cuilibet administranda non abhorreat, et quam inique interdum huiusmodi quaerelae ad Maiestatem Suam Regiam deferantur. Nos dabimus operam, ut Reverendae Paternitati Vestrae in re longe maiori vicissim amanter gratificari ac rem gratam praestare queamus. Datum ut in literis.

a) *in ms. adiectis*

b) *sequitur expunctum*: Ut autem Reverenda Paternitas Vestra amanter accepisse atque eo ipso contentam fuisse

1) *Venceslaus Wierzbicki.*

Schedula literis Domini^{a)} Samuelis Maziewski adiungenda propter proscriptionem. XI Iunii.

Reverendam quoque Paternitatem Vestram scire facimus, quod servitor noster in quibusdam suis ad nos XVI Maii Ratispona datis literis significarit, Reverendae Paternitatis Vestrae fratrem¹⁾ eo pervenisse et apud Sacram Caesaream et Catholicam Maiestatem²⁾ Regnique status et ordines a Sacra Maiestate Regia Poloniae, Domino nostro clementissimo, sibi iniuncta mandata exposuisse, verum tunc temporis responsum adhuc nullum accepisse. Ac quamvis ex literis et iussu Sacrae Maiestatis Regiae Reverendaeque Paternitatis Vestrae suasu alia multa, ad hoc praesens nostrum negocium pertinentia (sicuti antea Reverendae Paternitati Vestrae literis nostris significavimus) admiserimus, servitor tamen noster nobis indicat, Reverendae Paternitatis Vestrae fratrem dixisse se de nullo nisi unico sibi iniuncto scire mandato, ut id referat responsumque expectet. Nos igitur hoc sollicitat, ubi a regio illo legato hoc tantum praestaretur ac ipsi varia (quae interpellatione ac responsione opus haberent) obiicerentur, ipse autem aliud nihil, quam quod instructio in se contineret, agere vellet, quod hoc tempore nostro in negotio parum frugiferi efficeretur, praesertim cum eos adhuc hoc agere cernamus, quo pacto per amicabilem aliquam transactionem Theutonico Magistro³⁾ propter praetensam suam interpellationem satis fieret. Quapropter, cum res sic sese habeant, amice fraterneque oramus, Reverenda Paternitas Vestra de hoc, num quaedam media, Sacrae Maiestati Regiae ac Inclitae Coronae Poloniae convenientia, inveniri possint, cogitare atque ea Domino legato, ut de iis agere laboret, quam primum iniungi curare, nobis etiam amicum ac fratrum suum consilium, quod nobis hac in re faciendum censeat necne, communicare, nihilque minus quoque ea, quae hoc in negotio Domino legato iniungantur, nobis (quo eo commo-

dius rationes nostras instruere^{b)} queamus) adscribere velit. Haec erga Reverendam Paternitatem Vestram ut amicum ac fratrem nobis charissimum, animo propenso libenter recompensamus^{c)}. Christus Reverendam Paternitatem Vestram quam diutissime prosperam ac foelicem conservet^{d)}. Datum ut in literis.

Commissio Principis propria.
Christophorus Sangner.

- a) *sequitur expunctum*: Stani
b) *in ms. instuere*
c) *error pro: compensabimus?*
d) *in ms. conservat*

- 1) *Stanislaus Maciejowski.*
2) *Carolus V.*
3) *Valterus a Cronberg.*

N. 1965.

E Regio Monte, 15.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, exercituum R.P. capitaneo, pro litteris et novitatibus de rebus Hungariae sibi significatis gratias agit; de theologorum Ratisbonae congregatorum unione et concordia circa Iustificationem et Sacramentum facta nuntiat.

Cfr. El. XXXVI, N. 684.

(Adest conc. Latinum cum dato: 16.VI.1541, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 593-596.

Domino Ioanni a Tharnav, XV Iunii.

Agit gratias pro missis litteris, deinde pro communicatis ex Hungaria novitatibus. Item de iis, quae inter theologos Ratisbonae acta sunt. Illustri, Magnifico ac Generoso Domino Ioanni Comiti a Tarnau etc. cum toto titulo etc., salutem et foelicitatem optat etc.

Literas, quas nobis Illustris Magnificentia Vestra per Nobilis ac Generosi fidelis nobis dilecti, Domini Martini Cannacheri, Burggravii ac Consilarii nostri, filium, Illustritatis Magnificae Vestrae servitorem, transmittere non dedignata est, accepimus perlegimusque. Dicit autem non potest, quam gratae illae nobis fuerint, cum ob eximiam illam Illustris Magnificentiae Vestrae erga nos benevolentiam ac bene merendi studium, tum quod haud parvum nobis praebebant documentum veteris illius ac denuo reintegrati amoris atque amicitiae, qua in hac mortali et caduca vita nihil neque prius neque sanctius esse quicquam arbitramur. Dabimus itaque pro nostra persona operam, ut eam ipsam amicitiam, qua adinvicem copulati sumus, perpetuo sic stabilem, firmam ac inviolabilem conservare queamus.

Porro pro communicatis ex Hungaria novitatibus agimus et habemus Illustri Magnificentiae Vestrae maximas gratias. Atque utinam eam nobis aliquando dari occasionem, ut pares vicissim aut maiores referre ac tantam Illustris Magnificentiae Vestrae erga nos benevolentiam aliquo officiorum genere recompensare nobis liceat. Deum autem Optimum Maximum adsiduis praecibus oramus, ut is Romanorum Regis¹⁾ animum ita regat ac gubernet, ut hoc bellum ad Maiestatis Suae commodum et contra immanissimum Christianae Reipublicae hostem iustam defensionem vergat et optimae Serenissimaeque Hungariae Domi-

nae Isabellae, adfini ac sorori nostrae charissimae, cuius nomine ob infoelicem rerum suarum statum plurimum contristati sumus, ea evenire concedat, quae cum ad corporis, tum animae salutem illi utilia sint.

Caeterum quod scribit Illustris Magnificencia Vestra Thurcarum Imperatorem²⁾ cum potentissimo exercitu in Hungariam venturum, perturbavit ea res ob communem Christianam Rempublicam vehementer quidem animum nostrum, Deum autem summis praecibus obsecramus, ut is omnium Principum atque ordinum, nunc in Comitibus Ratisponae congregatorum, animos ita accendere velit, quo post firmatam et stabilitam in Romano Imperio pacem ac concordiam id saltem agant et consulant, quibus modis^{a)} aut qua vi tanto christiani nominis ac sanguinis hosti commode resisti queat. Qua in re si pro nostra quoque tenuitate aliquid vel consilio vel opera prodesse poterimus, non detrectabimus ullum humanitatis officium.

Novarum rerum nihil nunc habemus, nisi quod incerta et mercatorum quidem fama ad nos perlatum est, theologos Ratisponae congregatos in summis articulis, de Iustificatione scilicet et Sacramento, quod Sacramentum sub utraque specie accipi et porrigi debeat, convenisse; quomodo autem et quibus modis unio facta sit, adhuc ignoratur. Sperabimus autem Deum clementissimum ea media largiturum, quae primum ad divinae Maiestatis Suae laudem ac gloriam, deinde totius Christianae Reipublicae tranquillitatem pertinere ac plurimum momenti habere videantur. Haec Illustrem Magnificentiam Vestram, quam diu foeliciter vivere atque valere optamus, in praesentiarum latere nolimus. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii
Hieronymus.

a) in ms. nobis

1) Ferdinandus I.

2) Solimanus II.

N. 1966.

E Regio Monte, 18.VI.1541.

*Albertus dux in Prussia
Francisco I regi Galliae*

de Hieronymo Łaski et Assuero Brandt in Turcia captivis nuntiat et ad eos liberandos auxilium expetit.

(Schedula: de binis eiusdem tenoris litteris ad eum missis).

(Adest conc. Latinum cum dato: 17.VI.1541).

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 596-598.

Regi Franciae.

Pro liberatione Domini Lasski et Asueri Brandt, XVIII Iunii.

Serenissime Rex, Potensissime Monarcha, Domine Clementissime.

Quicquid gratificando obsequendoque pro nostris viribus praestare possumus, illud totum Sacrae Maiestati Vestrae Regiae volens lubensque dedicamus. Quandoquidem vero nihil non boni de Sacra Maiestate Vestra Regia nobis polliceamur, re etiam denique ipsa eiusdem animum propensum experti simus, non potuimus intermittere pro conser-

vanda regia illa clementia, necessitate maxime urgente, Sacram Maiestatem Vestram Regiam nostris hisce literis invisere, ea spe firma inductus, Sacram Maiestatem Vestram Regiam hanc nostram scribendi audatiam, ex animo certe sincero profectam, boni consulturam nostraeque petitioni tanquam benignam aliquod sydus affulsuram. Si igitur Sacra Maiestas Vestra Regia prosperrima valetudine, optimo regimine omnibusque in rebus successu foelicissime uteretur, esset nobis auditu iucundissimum, et nihil aequae volupe, quam eidem pro nostra tenuitate posse et debere gratificari multumque boni exhibere.

Porro Sacram Maiestatem Vestram Regiam haud latere arbitramur, Magnificum ac Generosum, sincere nobis dilectum ac fratrem nostrum, Dominum Hieronymum Lasski, a Sacra Romana Regia Maestate¹⁾ ex Hungaria ad Turcam fuisse missum atque legatum. Cum quo etiam nobilibus ac fidelis nobis dilectus servitor noster Asuerus Branth, aliquando in Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae aula versatus, persuasus ab eodem abiit, atque sic ambo, contra ius et communem legatorum consuetudinem, a Turca captivi detinentur. Cum autem nominatum Dominum Laski omni fraterna clementia amplectamur²⁾ et id etiam de nobis bene sit meritum, praeterea servitori nostro propter fideliam, quae nobis praestitit servitia, multum debeamus, merito nunc eorum in summis periculis curam gerimus atque de miserrimae captivitatis liberatione cogitamus. Quapropter summa qua possumus quaque debemus diligentia oramus, Sacra Maiestas Vestra Regia saepe iam nominatorum Domini Lasski et Asueri Branth misereri ac de modis³⁾ et rationibus, quibus liberati alter in patriam, alter ad nos redire possit, clementer cogitare atque efficere dignetur. Hoc summo maximoque beneficio Sacra Maiestas Vestra Regia non tantum nos, sed et Dominum Laski atque servitorem nostrum Asuerum Branth ad omne officiorum genus sibi obligatissimos paratissimosque reddet. Christus Sacram Maiestatem Vestram Regiam in prosperrima valetudine, optimo regimine omnibusque et animae et corporis bonis conservare velit. Datum ex Regio Monte, ut supra.

Schedula

Serenissime Rex, Potentissime Monarcha.

Quandoquidem certus nuntius nobis non fuerit, neque rationem, qua has literas Sacrae Maiestati Vestrae Regiae commode offerri posse⁴⁾ sciverimus, nos vero hanc causam propter summam istorum duorum captivorum necessitatem peragi atque effectam dari vehementer cupimus, ne igitur hac parte per moram, aut etiam per nos, aliquid negligatur, eas ipsas literas eiusdem tenoris bis describi curavimus, quo adminus unae ex binis ad Sacram Maiestatem Vestram Regiam deveniant. Iterum summo studio ac diligentia orantes, Sacra Maiestas Vestra Regia istam causam in commodum maxime Domini Laski, amici ac fratris nostri singularis, promovere et de redemptione ipsorum duorum cogitare atque laborare dignetur. Christus Sacram Maiestatem Vestram Regiam quam diutissime servet⁴⁾ prosperam ac foelicissimam. Datae ut in literis.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.
Christophorus Sangner.

a) *in ms.* amplectemur
b) *in ms.* nobis
c) *in ms.* possint

d) *in ms.* servat.
1) *Ferdinandus I.*

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

ad litteras regias respondens asserit se capitaneis suis nunquam demandasse, ut in locis, de quibus adhuc ambigitur, ad quem pertineant, tuguria aedificarent; de viis ad indicandos limites a capitaneis suis paratis sibi non constare nuntiat.

Cfr. El. XXX, N. 234.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Optpr. Fol., vol. 51, ff. 599-602.

Regi Poloniae.

De tuguriis exstructis et viis ad limites demonstrandos praeparatis.
XIX Iunii.

Serenissime Rex, Avuncule pientissime.

Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae literas Vilnae X^a Iunii praesentis istius anni summa, qua decet, reverentia accepi parique diligentia eas perlegendo id primum cognovi, quod Nobilis Iwann Cuntzewitz, Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae factor Jurbarensis, eandem certiore reddiderit, capitaneos meos stativa quaedam aedificare in iis locis, de quibus adhuc ambigitur, ad Magnum-ne Ducatum Lithuaniae an ad me pertineant, nominatim autem in bonis Coczicze, quae in sequestro esse debent, quoad haec finium controversia terminetur etc., et si quae aedificata iam sunt, ea Sacra Maiestas Vestra Regia me, ut demoliri iubeam, hortatur. Ego vero pro certo affirmare audeo, quod meis capitaneis istis in locis stativa exstruere nunquam demandaverim. Quandoquidem vero, ubi et quibus in locis mei commode pernoctare possent, ignorem, iussi quaedam thuguriola meis hinc inde, utcumque pernoctandi tollerabilia, aedificare atque hoc eam maxime ob causam, ne longe divagando hospiciaque quaerendo tempus frustra et inutiliter tereretur. Spero itaque eos meum mandatum sic et non aliter esse executos, neque quicquam iis in locis, quae in sequestro esse debent, aedificare illis mandavi. Si quid vero ultra meum mandatum vel me insciente esset factum aut aedificatum, spero (sicut etiam, ut fiat, humiliter dediteque oro) Sacram Maiestatem Vestram Regiam hoc mihi non vicio vertere aut inique interpretari, neque me inde aliud, quam quod literae consensu et sigillis confirmatae doceant et demonstrent, quaerere aut consequi velle cogitare. Cum igitur res sic sese certo et non aliter habeat, neque ullus subsit dolus, confido Sacram Maiestatem Vestram Regiam hac mea vera responsione contentam esse atque clementer concessuram, ut tuguriola ista erecta maneant, quo illa finium controversia eo melius et commodius finiri atque terminari queat. Sin vero Sacrae Maiestati Vestrae Regiae hoc adeo displiceat vel ista tuguriola in ipsius praeiudicium aedificata credat (quod tamen non est aut esse debet), ea in Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae singularem honorem ex debita obedientia demoliri curabo, modo etiam Sacra Maiestas Vestra Regia istis in locis stativa aedificari prohibeat. Nam quod mihi prohibitum et interdictum esse debet, id etiam Sacram Maiestatem Vestram Regiam praecavere dignum et aequum esse iudico, praesertim cum ea loca sequestro sint commissa.

Quapropter cum Sacra Maiestas Vestra Regia ea tuguriola a me destrui voluerit atque id iterum mihi significari fecerit, libenter in hoc Sacrae Maiestati Vestrae Regiae, uti Domino meo clementissimo, pro debito meo officio inserviam eidemque morem geram.

De viis vero, per terras, sylvas, paludes Magni Ducatus Lithuaniae ad limites indicandos a meis capitaneis paratis, compertum prorsus nihil habeo, contrarium vero mihi certo nunciatum est, Sacrae nempe Maiestatis Vestrae Regiae subditos in districtu meo Mumelensi, etiam quibusdam aliis in locis, longe ultra miliare in meum Ducatum irrupisse. Quod adeo rebellare non potui, nisi quod etiam silentio quidem aliquid de meo iure in praeiudicium feudi mihi commissi concedere noluerim, facile namque (quod et Sacra Maiestas Vestra Regia dicit) istud fero, modo et meis id facere aequa conditione permittatur. Nihil enim utrique parti quicquam inde decedere videtur.

Neque ego mihi aliud, ut supra dixi, quam quod contractus et litterae sigillis confirmatae declarent feudumque mihi concessum in se contineat, arrogo, quod et Sacram Maiestatem Vestram Regiam sentire scio. Quo vero eiusmodi controversiae determinantur aliaque pericula et errores, qui quotidie accidunt, ab utraque parte praecaveantur tandemque dirimantur, summa, qua possum quaque debeo diligentia, oro, Sacra Maiestas Vestra Regia novum iam denuo praescriptum regundorum finium diem in commodum ac utilitatem miserorum utriusque partis subditorum amplius non differre, sed ad eum perficiendi istius denique negotii causa suos commissarios mittere et eos, quos ad hoc^{a)} gerendum munus elegerit, mihi^{b)} prius denominare atque ascribere dignetur. Tunc et ego me meos (adiuvante Deo) missurum recipio. Hoc erga Sacram Maiestatem Vestram Regiam meis miseris cum subditis, ut Dominum nostrum clementissimum, omnibus debitis servitiis corporisque et animi bonis demereri studebimus... Datae ex Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria.
Christophorus Sangner.

a) in ms. hos

b) sequitur expunctum: parvis

N. 1968.

E Regio Monte, 20.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Odrowąz, palatino Podoliae,

eum, uxorem eius omnesque coniunctos salutatur et rogatur, ut de rebus Hungaricis et regina Isabella se certiore faciat; de die regundorum finium ad festum Exaltationis S. Crucis a rege dilato nuntiat.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 602-604.

Stanislao Odrowacz.

Petit se de rebus novis et praecipue Hungaricis reddi certiore.

Item de die regundorum finium in Lithuania. XX Iunii.

Albertus, Dei gratia etc. Magnifico et Generoso etc.

Magnifice ac Generose, Amice ac Frater nobis dilecte.

Quamvis argumentum scribendi hoc tempore satis idoneum non habeamus, tamen hoc ipsum vobis, nempe nihil, esse in signum ac testimonium singularis nostrae amicitiae fraternique amoris scribendum atque Magnificentiam Vestram, oblata istius nuncii oportunitate, nostris hisce literulis invisendum duximus, firmiter sperantes Magnificentiam Vestram nostrum hac in re studium benevolentiamque non improbare. Nihil itaque ad aures nostras pervenire iucundius posset, quam Magnificentiam Vestram, eiusdem charissimam coniugem¹⁾ omnesque eidem coniunctos, prosperrima valetudine, optima fortuna, omnibus in rebus foelicissimo frui successu experiri.

Novi autem, quod literis et scitu dignum existimarem, apud nos nihil iam est, et ea^{a)}, quae sunt, Magnificentiae Vestrae antea satis nota esse credimus, itaque inani ac superfluo verborum sono Magnificentiae Vestrae auribus obstrepere noluimus. Si quid autem in posterum Magnificentia Vestra dignum habuerimus, eidem hac in re operam nostram non detrectabimus, amice fraterneque orantes, Magnificentia Vestra, quae novarum rerum plus habet et habere potest, nos interdum de quibusdam et praecipue de rebus Hungaricis ac Serenissima Domina Isabella Regina Hungariae, consanguinea nostra charissima, cerciores reddere velit, ut de ipsius calamitatibus (quod Deus prohibeat) contristari ac fortunis (quod magis speramus nobisque optabilius multo est) congaudere queamus.

Porro Magnificentiam Vestram latere nolumus Sacram Maiestatem Regiam Poloniae, Dominum nostrum clementissimum, nobis praescriptum Petri Pauli regundorum finium diem in Lithuania renunciasset atque eundem in diem Exaltationis Crucis proxime venturum distulisse, poenuriam hoc tempore rerum omnium ad victum necessariorum praetendens. Quod Magnificentiae Vestrae praeterea significamus, ut si eadem de notis beneque cognitis causis, per nobilem ac fidelem nobis dilectum servitorem nostrum Iohannem Politzki indicatis, quid mutare aut amplius deliberare vellet, hoc eidem liberum ac integrum esset... Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria.
Christophorus Sangner.

a) *supra lineam.*

1) *Anna dux Masoviae.*

N. 1969.

E Regio Monte, 20.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,

de aegritudine regis et reginae Isabellae infelicitate dolet; excusationem eius, quod hoc tempore Regium Montem venire nequeat, acceptat; regem salutaris iubet; novitates sibi perscribi exposcit.

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, N. 13.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 501-502v.

N. 1970.

E Regio Monte, 21.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,

litteras eius, 31.V.1541 datas, se accepisse nuntiat; de reginae Isabellae infelicitate dolet; pro bonis equis sibi promissis gratias agit; novitates mitti petit.

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, N. 12.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 500v-501.

N. 1971.

E Regio Monte, 29.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

cum capitaneus Ducatus Masoviae prohibuisset, ne pecora, boves aliaque iumenta ex Masovia ad nundinas Soldavienses inducerentur, coactum se esse affirmat culinae suae magistrum in Podoliam et episcopatum Premisliensem mittere, ut boves pro culinae suae necessitate coemeret, et rogat, ut ei rex litteras liberi passus dare velit.

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 606-608.

Ad Regem Poloniae, XXIX Iunii.

Capitaneus Mazoviae prohibuit, ne homines ex Ducatu Mazoviae pecora, boves et alia iumenta in Ducatum meum et oppidum Soldau inducere deberent.

Serenissime Rex.

Supplicavi aliquoties Sacrae Maiestati Vestrae Regiae, ut cum eadem praeter antiqua foedera constituta literisque confirmata pacta per Capitaneum suum Ducatus Mazoviae prohibuisset, ne homines ac subditi Maiestatis Vestrae Regiae ex Ducatu Mazoviae pecora, boves et alia iumenta in Ducatum meum et oppidum Soldaw aliaque loca, in quibus nundinae suo tempore celebrantur, inducere deberent, Maiestas Vestra Regia huiusmodi interdictum abrogare atque infringere clementer vellet necnon permittere, ut posthac, sicut et antea semper fuit, libera esset inter utrosque subditos iumentorum aliarumque mercium emptio ac venditio. Ego vero cum viderem tot petitiones ac preces meas apud praefatum Capitaneum Ducatus Mazoviae parum efficere, coactus sum pro sustentatione aulae meae proprium servitorem meum ac culinae magistrum in Podoliam ac episcopatum Premisliensem ad emendum aliquot boves, saltem pro necessitate culinae meae, ablegare. Proinde cum a supradicto servitore meo ac culinae magistro certior sim factus se huiusmodi boves, nisi a Maiestate Vestra Regia publicas securitatis et ab omni theloneo liberis literas habeat, deducere minime posse, Maiestatem Vestram Regiam humillimis precibus oro, eadem dignetur mihi per praesentium exhibitorem huiusmodi literas clementer transmittere, quo saepedictus servitor meus aliquot centum boves, tantum pro culinae meae

necessitate, mihi libere absque ulla thelonei datione adducere possit, sicuti Maiestatem Vestram Regiam cum meo tum aequitatis nomine facturam minime dubito. Ego dabo operam, ut Maiestati Vestrae Regiae in re longe maiori vicissim inservire queam. Datae Regio Monte, ut supra.

N. 1972.

E Regio Monte, 29.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Chelmensi, nominato Plocensi, R.P. vicecancellario,

de tenentario in Plotele (Platel) queritur, qui ante utriusque partis commissariorum conventum limites inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae « mensurare molitur ».

(Latine)

(Adsunt conc. Latinum epistolae ad S. Maciejowski et 2 conc., Latinum et Germanicum, litterarum eiusdem tenoris ad regem datarum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 604-606.

N. 1973.

E Regio Monte, 29.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

Thomae Sobocki, tribuno Lanciensi,

litteras regi et vicecancellario [Samueli Maciejowski] inscriptas transmittit et rogat, ut eas eidem vicecancellario tradat ac clemens regium responsum impetrare studeat.

(Germanice)

Cfr. El. XXXVI, N. 697.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 502v-503.

N. 1974.

E Regio Monte, 30.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

Lucae a Górká, episcopo Vladislaviensi (Cuiaviensi)

Achatio Czema, castellano Gedanensi, in quibusdam negotiis ad eum proficiscenti, se etiam nonnulla negotia sua commisisse nuntiat et rogat, ut ipsi nomine suo loquenti plenam fidem adhibeat.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 608-609.

N. 1975.

E Regio Monte, 30.VI.1541.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Kuntz (Cuntz), civi Posnaniensi,
pro transmissis sibi Ioannis Back litteris gratias agit et rogat, ut ei
acclusum responsum suum tradendum curet.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, f. 503.

N. 1976.

E Regio Monte, 3.VII.1541.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Russocki, castellano Biechoviensi,
in liberando Hieronymo Łaski apud Turcas captivo operam eius expetit
et rogat, ut huius rei causa legatos Turcicos, apud regem iam praesen-
tes, interpellet.*

(Adest versio Germanica, Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 503v-504).

Cfr. El. XXXVI, N. 693.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 609-610.

Domino Nicolao de Rossoczicze.

Pro liberatione Domini Łaski. III Iulii.

Magnifice ac Generose, Amice nobis dilecte.

Accepimus Magnificentiae Vestrae literas, Vilnae feria tertia in Vigilia Petri et Pauli praesentis anni datas, ex quibus Turcarum Imperatoris¹⁾ nuntium advenisse eundemque Magnificentiae Vestrae Magnifici ac Generosi Domini Hieronymi Łaski etc., amici ac fratris nostri dilecti, res atque statum retulisse intelleximus. Porro ex iisdem literis Magnificentiae Vestrae erga nos animum sincerum voluntatemque propensam coniecimus. Propter quod Magnificentiae Vestrae gratias agimus maximas, omni clementia agnoscendo. Quandoquidem vero nominatum Dominum Łaski singulari clementia amplectamur²⁾, nihilominus etiam eum ipsum captivitate sua liberatum libenter vellemus, non immerito pro eius liberatione laboramus. Ad hanc vero rem conficiendam hoc tempus, quo Turcarum Imperator legatos suos eo iam miserit, commodissimum fore atque Magnificentiam Vestram, tanquam amicam ipsi singulariter coniunctum³⁾, aptissimum iudicamus. Quapropter amice rogamus, Magnificentia Vestra pro dicti Domini Łaski liberatione nullum non lapidem movere velit. Sumque⁴⁾ spe firma adductus Magnificentiam Vestram auxilio Serenissimi Potentissimique Poloniae Regis, Domini nostri clementissimi, apud Turcae legatos tantum facile efficere posse, quo mediante Sacrae Maiestatis Regiae petitione literisque eiusdem⁵⁾ intercessoriis

praenominatus Dominus Lasski liberetur domumque redeat^o), sicut Magnificentia Vestra pro sua sapientia his omnibus modum viasque inveniet aptissimas. In hoc Magnificentia Vestra nobis faciet gratissimum. Praeterea se praedictus Dominus Lasski hoc summum beneficium erga Magnificentiam Vestram nullo non tempore summis viribus demereri conabitur. Deus Omnipotens Magnificentiam Vestram diu servet^o incolumem. Datae e Regio Monte, III Iulii.

Commissio Principis ex relatione secretarii.
Christophorus Sangner.

a) *in ms. amplectemur*
b) *in ms. coniunctim*
c) *in ms. Cumque*
d) *in ms. eundem*

e) *in ms. rediat*
f) *in ms. servat*
1) *Soltmanus II.*

N. 1977.

E Regio Monte, 4.VII.1541.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae

tuguriola in sequestro aedificata, rege tantopere instante, se demoliturum esse promittit; pro termino regundorum finium amplius non dilato gratias agit et rogat, ut rex commissariis suis severe iniungat, ne ante limitum determinationem discedant.

Cfr. El. XXX, N. 237.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 611-613.

Ad Regem Poloniae.

Pollicetur se tuguriola in Coadiutem^o aedificata (cum eius Maiestas tantopere instet) destruere. Item petit, ut suos tandem commissarios sine ulla mora ad praescriptum Exaltationis Crucis diem regundorum finium causa mittat. IIII Iulii.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae literas, Vilnae XXVI Iunii currentis istius anni datas, debita reverentia accepi decentique diligentia perlegi. Ex quibus primum cognovi, quod lectis coram Magni Ducatus consiliariis meis literis hoc decretum sit, ut tuguriola in sequestro aedificata (cum idem a Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae hominibus fieri nollem) prorsus demoliri iubeam. Ego vero Sacram Maiestatem Vestram Regiam de proxima mea propter hanc rem responsione abunde contentam sperassem, quandoquidem aliud nihil unquam petierim aut quaesierim, sicut adhuc hodie et in posterum, Deo volente, per omnem meam vitam aliud nihil petam aut quaeram, quam quae regium illud feudum mihi clementer concessum ac contractus literis sigillisque (ad quae me semper refero) confirmati doceant ac demonstrent. Porro cum Sacra Maiestas Vestra Regia propter hanc rem tantopere gravetur, Capitaneo meo scribi

demandabo, ut si quae tuguriola in Coadiuten loco sequestro commisso aedificata essent, demoliri curet, eique iniungam, ut sequestro non aliter, quam quae natura sequestri postulat, utatur, quod et Sacram Maiestatem Vestram Regiam facturam clementerque suis, ne quid iis in locis aedificent, prohibeturam confido, humiliter petens. Sacra Maiestas Vestra Regia hoc sibi certo persuadere velit me nihil aliud velle aut peroptare, quam quae de iure ac valore contractus mihi debentur.

Tempus autem regundorum finium a Sacra Maiestate Vestra Regia amplius non differri aut prorogari vehementer gaudeo eidemque propterea debitas gratias ago maximas. Neque vero hoc negotium, utrique sane parti valde necessarium, ad praescriptum tempus foeliciter inceptari, sed foelicissime etiam tandem finiri confido. Quod ut fiat facilius, Sacram Maiestatem Vestram Regiam nunc iterum summa diligentia obtestor, suis ad hanc rem destinatis severe regieque iniungere dignetur, ne infecto negotio aut ante determinationem limitum discedant, sed hoc tandem secundum naturam feudi, contractus, literas et sigilla, mediante Deo omnipotente, finiant finireque summis viribus laborent. Quo sic Sacra Maiestas Vestra Regia et ego a quottidianis illis et odiosissimis utrorumque subditorum querelis amplius immunes existamus, pax, tranquillitas, concordia bonaque vicinitas sanciantur ac corroborentur, miserique denique subditi his dubiis liberati et in tuto collocati melius res suas curare valeant. Faciet profecto in hoc Sacra Maiestas Vestra Regia se dignissimum opusque operabitur pientissimum. Praeterea ego meis miseris cum subditis erga Sacram Maiestatem Vestram Regiam omni humilitate debitisque servitiis demerebimur. Quam nunc florentissimam foelicissimamque in multa saecula peropto. Datae ex Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria.
Christophorus Sangner.

z) sic in ms.

N. 1978.

E Regio Monte, 4.VII.1541.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Chelmensi, nominato Plocensi, R.P. vicecancellario,

pro litteris, Vilnae, 27.VI.1541 datis, de rege iam convalescente et de Turcarum, Valachorum et Moschorum legatis ad regem missis nuntiantibus, gratias agit.

(Schedula: de regundorum finium commissariis constituendis).

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 692.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 613-614.

N. 1979.

E Regio Monte, [14].VII.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

pro Martino Hermensdorff (Hermsdorff), subdito suo, cum Ioanne Heidenbrecker, cive Gedanensi, « propter hortum ac domum quandam, germanice Speicher nuncupatam », coram iudicio regio causam habente, intercedit et rogat, ut se ei rex clementem exhibeat.

(Sub textu: Mutatis mutandis ad Stanislaum Osium, iuris utriusque Doctorem, pro Martino Hermsdorff).

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 698.

(Adsunt 2 conc. Latina, unum ad regem cum dato: 14.VII.1541, alterum ad Stanislaum Hosium cum dato: 15.VII.1541, dum in Ostpr. Fol. datum deest, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 615-617.

N. 1980.

E Regio Monte, 17.VII.1541.

Albertus dux in Prussia

Henrico Felckner (vel Falckner), civi Posnaniensi,

rogat, ut certam pecuniae summam Sebaldò a Thielen Norimbergam mittat, quo ille eam Christophoro a Kreitzen Ratisbonam pervenire faciat.

(Germanice)

Cfr. El. XLV, N. 38.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 496-496v.

N. 1981.

E Regio Monte, 19.VII.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

transmittit litteras fratris sui Gulielmi marchionis Brandenburgensis, archiepiscopi Rigensis, clemens responsum regium ad eas expectat et negotium fratris sui commendat.

(Latine).

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 619-620.

N. 1982.

E Regio Monte, 19.VII.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Bielewicz

pro Anna, Ioannis Feierabent relicta vidua, intercedit et rogat, ut negotiorum eius curam in se suscipere velit.

(Sub textu: Mutatis mutandis ad Dominam Elizabeth a Tracken, pro Anna Feierabents etc.).

(Latine).

(Adsunt 2 conc. Latina, unum ad Ioannem Bielewicz, alterum ad « Dominam Elizabeth a Tracken », HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., 51, ff. 617-619.

N. 1983.

E Regio Monte, 23.VII.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Kościelecki (Cotzeletzki), palatino Brestensi,

excusat se, quod ante insperatum eius nimis matutinum discessum cum eo non sit locutus, quamquam nonnulla regi perferenda ei committere voluisset.

(Latine).

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 621-622.

N. 1984.

E Regio Monte, 1.VIII.1541.

Albertus dux in Prussia

Senatui Caunensi

commendat causam subditi sui Ioachimi Pallen et rogat, quo auctoritate et intercessione eorum Franciscus Zcemeritz, civis Caunensis, picem, pro qua iam paratam pecuniam obtinuit, subdito suo tandem suppeditet.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 132-133.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

*de pontibus ac viis, a subditis regiis ex Lithuania et Samogitia contra
mandatum regium in confiniis usque in districtum Thilsensem ex-
structis, queritur.*

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 622-624.

Ad Sacram Maiestatem Regiam Poloniae propter pontes ac vias, ab hominibus ex Lithuania et Samogithia in finibus exstructas, tuguriaque aedificata. VIII Augusti.

Serenissime Rex etc.

Sacra Maiestas Vestra Regia iam aliquoties mihi scribi curavit se a factore suo Jurbarensi, Iwan Cuncewitz, certiozem redditam esse, a meis capitaneis in locis adhuc ambiguis atque sequestro commissis tuguria aedificari, accepta etiam ad hanc rem mea excusatione lectisque coram Magni Ducatus Lithuaniae consiliariis meis literis significavit ab iisdem decretum esse, ut eadem omnino demoliri iubeam, postulans, ut hoc sic fieri curem, quandoquidem et suis, ne quid eiusmodi in locis aedificarent, edicere vellet etc. Ego itaque ex debita obedientia, in singularem Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae honorem, regium istud mandatum meis iniunxi postulans, ut hoc exequantur, sicuti eos executos minime dubito, firmiter sperans idem etiam et a suis observatum fuisse.

Porro nobilis, fidelis mihi dilectus Capitaneus meus Thilsensis, Mauricius a Perskau, paucos ante dies me certiozem reddidit, quod homines ex Lithuania ac Samagithia, contra istum consensum ac mandatum, longe in districtum Thilsensem pontes ac vias exstruxerint, multas praeterea iis in locis arbores amputarint, adhaec tuguria atque stabula aedificarint. Quandoquidem vero Sacram Maiestatem Vestram Regiam hoc minime velle, imo absque mandato et sine dubio contra voluntatem eiusdem factum sciam, humiliter spero Sacram Maiestatem Vestram Regiam in suos factores propter tam iniquos conatus tantamque audaciam animadversuram ac debitum de iis supplicium sumpturam, humiliter dediteque orans, Sacra Maiestas Vestra Regia (uti eam facturam minime dubito) id, quod iis in locis exstructum est, ante controversiae determinationem, propter alios evitandos errores prorsus demoliri curare dignetur. Hac in re Sacra Maiestas Vestra Regia aequitati congruum faciet istoque pacto me meosque sibi devinctos devinctissimos reddet... Datae a Regio Monte, ut supra.

Commissio Cancellarii.
Christophorus Sangner.

N. 1986.

E Regio Monte, 10.VIII.1541.

*Albertus dux in Prussia
capitano Varsaviensi*

de duobus civibus Varsaviensibus, doctore et apothecario, queritur, qui Antonio a Lehwalt (Lebwelt), culinae suae magistro, 300 boves, prompta pecunia coemptos, ex Podolia in Ducatum Prussiae ad usum culinae suae ducalis pellenti, 50 boves arrestarunt et detinuerunt propterea, quod teloneum solvere recusaverit.

(In margine supra: Item mutatis mutandis ad Senatum Warschoviensem, ad Capitaneum in Zakrotzschin; item ad Capitaneum Zschechanoviensem VI boves etc. scriptum est).

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 624-626.

N. 1987.

E Regio Monte, 11.VIII.1541.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae*

pro Felici Klene, subdito regio, cuiusdam homicidii Vilnae perpetrati falso accusato, intercedit et rogat, ut ei rex litteras salvi conductus dare velit, quo coram rege libere comparere et de non patrato scelere se purgare possit.

(Sub textu: Mutatis mutandis ad Reginam Poloniae [Bonam] et ad Dominum Schlutzki).

(Latine)

(Adsunt 2 conc. Latina, cum dato 10.VIII.1541 et nonnullis differentiis formalibus, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 626-628.

N. 1988.

E Regio Monte, 1.IX.1541.

*Albertus dux in Prussia
proconsuli cuidam Caunensi*

rogat, ut nuntio suo Ioanni Polwerck in mercenariis ad labores silvestres conducendis opera sua adsit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 133-134.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario, de negotiis suis in Comitibus Ratisbonensibus a fratre eius, Stanislao Maciejowski, coram imperatore et ordinibus Imperii summa fidelitate propositis nuntiat; rogat, ut eadem negotia sua iterum apud regem promoveat, quo odiosissima in se lata proscriptio tandem abrogetur.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 628-630.

Ad Samuelem Matziewsski^{a)}.

De iis, quae Ratisbonae acta sunt. Petit, ut instet apud Regiam Maiestatem, quo causa proscriptionis aliquando componatur.

Obsequia nostra amica et quidquid grati praestare possumus.

Reverende in Christo Pater, Amice et Frater nobis Charissime.

Reverendam Paternitatem Vestram celare neququam possumus, Nobilem ac Generosum, fidelem nobis dilectum Christopherum a Kreyzen^{b)}, cubicularium et consiliarium nostrum, paucos ante dies ex Ratisbonensibus Comitibus ad nos rediisse. Qui inter caetera nobis id quoque retulit, videlicet Nobilem ac Generosum, sincere nobis dilectum Dominum Stanislaum Matziewsski, Reverendae Paternitatis Vestrae fratrem charissimum, negocia nostra, sibi a Sacra Regia Maiestate Poloniae, Domino et avunculo nostro clementissimo, demandata atque imposita, summa fidelitate coram Caesarea Maiestate^{c)} Romanique Regni ordinibus proposuisse. Quo nomine nos eius Generositati merito multum habere^{d)} fatemur. Et quamvis nobis in animo erat ea omnia, quae idem Reverendae Paternitatis Vestrae frater dilectissimus in causa nostra proscriptionis apud dictam Romanam Caesaream Maiestatem Imperiique ordines obtinuit et expedivit, Reverendae Vestrae Paternitati transmittere, tamen cum eadem ad Sacram Maiestatem Regiam copiosius perscriberemus et nos neququam lateret huiusmodi omnia Reverendae Paternitati Vestrae a Maiestate Sua Regia communicari, nolimus eandem duplici legendi molestia onerare.

Proinde cum eo ipso in negotio Reverendae Paternitatis Vestrae patrocinio et ope vehementer opus habeamus multumque spei ac fiduciae in Reverendam Paternitatem Vestram colloceamus, eandem summis oramus praecibus, ut talia negocia, in quibus sane nobis haud parum momenti positum esse videtur, pro solita sua benignitate ac industria diligenter apud Maiestatem Regiam promovere tantumque efficere velit, quo tandem gravissima ac odiosissima hac proscriptione liberari et cum omnibus nostris terris ac subditis in tuto collocari queamus. Sicuti eandem et nostro nomine et quod sedulo id facturam se recepit, haud gravatim hoc onus in se recepturam non dubitamus. Nos dabimus operam, ut Reverendae Paternitati Vestrae in re longe maiori vicissim amanter gratificemur. Quae bene foeliciterque in Christo valeat. Datae e Regio Monte, III Septembris, anno ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.

a) sequitur expunctum: III Septembris XII c) error pro: debere?
Octobris. 1) Carolus V.

b) a Kreyzen in margine.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Maciejowski

*pro diligentia et studio in expediendis negotiis suis in Comitibus Ratisbo-
nensibus adhibito gratias agit.*

Cfr. El. XXXVI, N. 704.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 630-631.

Ad Stanislaum Matziewsski^{a)}.

Agit gratias, quod diligenter causam Ratisponae egerit.

Salutem et benevolentiam nostram.

Nobilis ac Generose, sincere nobis dilecte.

Accepimus Generositatis Vestrae literas, Ratisbonae XXX Iulii mensis praeteriti datas, quae nobis fuerunt omnium gratissimae. Perspeximus enim ex illis summam illam Generositatis Vestrae in negotio nostro adhibitam diligentiam, quae non potest non vehementer nobis grata esse. Tam et Nobilis ac Generosus, fidelis nobis dilectus Christopherus a Creyzen, cubicularius et consiliarius noster, nobis eximiam hanc Generositatis Vestrae fidem et dexteritatem, qua his exactis Comitibus nostro in negotio usa est, quantaeque curae illi negocia nostra fuerint, satis copiose exposuit. Quo nomine Generositati Vestrae eas, quas possumus maximas, et agimus et habemus gratias atque utinam ea nobis aliquando daretur occasio, ut maiores nobis liceret. Itaque firmiter sibi istud de nobis Generositas Vestra persuadeat, nos non omisso, quin^{b)} id, quod verbis nunc promittimus, re aliquando praestaturi simus. Nos vicissim clementer petimus, quo Generositas Vestra sibi negocia nostra omnia ita, ut cepit, posthac quoque apud Sacram Regiam Maiestatem Poloniae, Dominum et avunculum nostrum clementissimum, diligenter et commendata habere et summo studio eadem promovere velit, sicuti eandem nostro nomine facturam minime dubitamus. Daturi sumus operam, ut tantam Generositatis Vestrae benevolentiam vicissim clementi aliquo beneficio recompensare queamus. Et ut sentiat tandem Generositas Vestra nostram liberalitatem et clementiam, transmittemus illi primo quoque tempore pignus quoddam amicitiae nostrae, quod grato a nobis animo Generositas Vestra accipiet. Quam diu foeliciter vivere atque valere optamus. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.

a) sequitur expunctum: III Septembris XII
Octobris.

b) in ms. quid

N. 1991.

E Regio Monte, 4.IX.1541.

Albertus dux in Prussia

*Andreae a Górká, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo,
de tardiore promissi equi expeditione se excusat.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 631-632.

N. 1992.

Ełk (Lyck), 18.IX.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Wunsam iuniori

de pretio argenti sibi suppeditandi; de re monetaria.

(Germanice)

Cfr. El. XLV, N. 39.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 504v-505v.

N. 1993.

Ełk (Lyck), 25.IX.1541.

Albertus dux in Prussia

Bohdano Tarusz (Bogusch Tharusa)

*de controversia inter eum et capitaneum in Stradaun de non restitutis
ei a capitaneo duobus equis intercedente.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 134-136.

N. 1994.

Ełk (Lyck), 29.IX.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

*pro commissariis ad diem regundorum finium a rege missis gratias agit,
se suos etiam misisse nuntiat, sed dolet, quod nihil ab eis transactum
et confectum sit; rogat, ut usque ad finalem limitum determinatio-
nem se rex « contra omnes iniurias clementer regieque protegere velit ».*

*(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162, et Germanicum cum dato:
30.IX.1541, HBA, B, K. 1161).*

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 632-634.

Ad Regem Poloniae, XXIX Septembris.

*Quod commissarios ad determinandas granities inter Magnum Duca-
tum Lithuaniae etc. ordinarit et queritur nihil esse transactum.*

Serenissime Rex *etc.*

Posteaquam Sacra Maiestas Vestra Regia frequentibus humilibusque meis petitionibus clementer acquiescens suos commissarios ad determinandum granitiam inter Magnum Ducatum Lithuaniae Ducatumque Prussiae ordinarit et ad praescriptum diem eo ablegarit, Sacrae Maiestati Vestrae Regiae gratias quam possum humiliter ago maximas. Ad quod conficiendum negotium, non minus necessarium quam utile, ego etiam meos destinavi atque ad id tempus eo misi, summa firmaque spe adductus hoc negotium per istos ordinatos commissarios, secundum clementem Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae promissionem, non solum foeliciter incipi, sed foeliciori progressu foelicissimoque exitu tandem effici atque finiri. Verum iste conventus non solum, heu! nihil profuit atque fructiferi effecit, sed mala atque gravamina, quae certe nunquam sperassem, mihi insuper contigerunt. Propter quae (summa sic mea postulante necessitate) Sacram Maiestatem Vestram Regiam, tanquam Dominum meum clementissimum avunculumque pientissimum, humiliter per legatos invisere cogor. Quandoquidem vero id iam fieri brevitate temporis nequeat, praeterea de istis omnibus meis fidelibus cum subditis, ad quos nempe haec res etiam pertineat, tam de terris quam civitatibus, consilia prius capere necesse habeam, summa diligentia dedite oro, Sacra Maiestas Vestra Regia istam meam moram boni consulere ac interea temporis et priusquam ego meam proferam declarationem, omnia indicata cum meis conferenda reservare, se etiam in his omnibus erga me, tanquam Principem suum vasallum, consanguineum atque subditum (uti firmiter spero), clementem gerere atque exhibere, multo minus me in meo Ducatu, a Sacra Maiestate Vestra Regia mihi clementer concesso, turbari aut ullam iniuriam fieri concedere, imo me in hoc contra omnes iniurias clementer regieque protegere, defendere tuerique dignetur. Hoc summum vereque regium beneficium ego iuxta meos fideles subditos omnibus fortunis ac viribus omni humili debitaque diligentia demereri conabor... Datæ Lick, XXIX Septembris.

Commissio Principis propria.
C. Sangner.

N. 1995.

In pago Prostki prope Elk, 29.IX.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

pro Gulielmo Truchsess a Wetzhausem, consiliario suo, cum Ioanne Lujzański (a Lusian), palatino Culmensi et capitaneo Radzynensi (Rhedensi), socero suo, de uxoris suae dote et iuribus hereditariis causam habente, intercedit.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA. B, K. 1162, et Germanicum, HBA, B. K. 1161).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 634-637.

Albertus dux in Prussia

*Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,
de exitu conventus utriusque partis commissariorum ad regundos fines
congregatorum eum ex litteris suis ad regem datis intellecturum es-
se nuntiat et rogat, ut hanc causam sibi commendatam habeat.*

*(Schedula: mittit libellum quendam Germanice scriptum de peri-
culo Turcico et de conatibus « monachi »).*

*(Adest conc. Latinum epistolae, cum dato: 29.IX.1541, HBA, B, K.
1162, et conc. Latinum schedulae, HBA, B, K. 1162, et Germanicum
schedulae, HBA, B, K. 1161).*

Cfr. El. XXXVI, N. 700.

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 637-641.

Ad Samuelem Mazciewski, XXX Septembris.

Ad constitutam atque indictam granitierum seu finium diem inter
Magnum Ducatum Lithuaniae et Prussiae etc.

Reverende in Christo Pater, Amice ac Frater charissime.

Quae in congressu atque conventu tam Sacrae Maiestatis Regiae
quam meorum commissariorum ad constitutam atque indictam grani-
cierum seu finium diem inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum
nostrum Prussiae acta sunt quaeque inopinato ac praeter omnem spem
nobis ab eisdem regiis commissariis acciderunt, ea Reverenda Paterni-
tas Vestra ex Sacrae Maiestatis Regiae literis, quam eam ob causam
nunc invisere cogimur, percipere dignabitur. Proinde cum totum hoc
negotium brevi per legatum nostrum ad Maiestatem illius Regiam re-
ferre in animum induxerimus nec dubitemus, quin varia indicata hac
de causa ad Maiestatem Suam Regiam referantur, rogamus Reveren-
dam Paternitatem Vestram amice ac fraterne, eadem dignetur interea
temporis et priusquam nos nostram proferamus declarationem, omnia
indicata cum nostris conferenda reservare, nihilominus etiam, tanquam
membrum Amplissimae Coronae Poloniae, sibi hanc nostram causam
diligenter commendatam habere, sicuti eandem prorsus facturam non
dubitamus. Nos dabimus operam, ut Reverendae Paternitati Vestrae
in re longe maiori vicissim amanter gratificari queamus... Datae ex arce
nostra Lick, ut supra.

Cedula

Ex Reverendae quoque Paternitatis Vestrae literis, datis Vilnae vige-
sima quinta Augusti, nobis per servitorem et aulicum nostrum Ioannem
Politzki transmissis, satis abunde intelleximus Reverendae Paternitatis
Vestrae amicum ac benevolum animum propensamque illius erga nos
voluntatem. Nos itaque pro ea benevolentia, qua nos amplectitur, ac
etiam omnibus iis, quae nobis a Reverenda Paternitate Vestra accidere
possunt, eidem summas ac immortales agimus gratias. Daturi operam,
ut istud erga Reverendam Paternitatem Vestram omni, quo possumus,
studio promereri queamus. Nobis autem profecto permolestum fuit
audire communem Christianitatem ab hereditario suo hoste, Turca, iam

denuo tam graviter premi. Deus Optimus Maximus dignetur illi atque omni malo clementer resistere ac omnibus christianis capitibus gratiam, pacem et firmam concordiam gratiose concedere, quo unanimi potentia fidelique auxilio immanissimo tyranno eiusque malis conatibus hoc facilius obviam ire queant.

Porro Reverendam Paternitatem Vestram, tanquam fidum charumque amicum ac fratrem nostrum, cui mentem nostram libere aperire non abhorremus, celare nolumus libellum quendam Germanice impressum, quem una cum his Reverendae Paternitati Vestrae transmittimus quique forma literarum ab incolis et inhabitatoribus terrarum Mazoviae ad Supremum Capitaneum Silesiae pro auxilio adversus Thurcam praedictarumque terrarum defensione scriptus est, ad manus nostras pervenisse. Ex quo prope finem percepimus, quasi a Monacho¹⁾ illo, qui se ad Turcarum Imperatorem²⁾ non in modicum damnum et exitium Christianitatis contulit, aliquot personae in Regnum Poloniae cum summa quadam pecuniarum ad conscribendum militem ablegatae sint. Et quamvis haec omnia tanquam novitates quasdam recipiamus, sperantes eadem falsa ac ficticia esse, nec dubitemus, quin Sacra Maiestas Regia Amplissimaque Poloniae Corona talia permissura non sit, tamen nos tanquam curiosus atque sollicitus Princeps, pro fide ac sincero animi affectu necnon pro eo debito, quo Sacrae Maiestati Regiae, Domino et avunculo nostro clementissimo, laudabilissimoque Poloniae Regno adstricti sumus, ea omnia Reverendae Paternitati Vestrae, uti non minimo eiusdem Regni membro, significare voluimus idque eam potissimum ob causam, ut si Reverendae Paternitati Vestrae ita commodum videretur et talia nova (quod credere haud facile possumus) ita re vera sese haberent, Reverenda Paternitas Vestra pro suo placito apud Maiestatem Regiam Poloniae omni modo instare atque efficere vellet, ut huiusmodi militum conscriptio non modo non permitteretur, verum etiam in posterum prohiberetur. Nam nisi hoc fieret, facile penes se Reverenda Paternitas Vestra pro eximia sua prudentia considerare poterit, quales suspitiones haec res Romano Regno suisque ordinibus, utpote Electoribus ceterisque Principibus, de Amplissima Poloniae Corona parare possit. Quae omnia tamen in Reverendae Paternitatis Vestrae voluntatem ac altum iudicium reiicimus, amice ac fraterne rogantes, ut cum statum et conditionem Regiae Dignitatis Hungariae, Dominae Isabellae, his periculosis temporibus, quibus videlicet tam varia et mira de ea narrantur, cognoscere vehementer summoque desiderio cupiamus, Reverenda Paternitas Vestra nos interdum per literas suas de Regni Hungariae Serenissimaeque Reginae statu ac conditione benigne certiores reddere haud gravatim velit, quo scilicet de foelici Regiae Dignitatis Suae gaudere ac vicissim de infoelici rerum suarum successu condolere queamus. Optamus autem et precamur Regiae Suae Dignitati a Deo Optimo Maximo omnem foelicitatem et quaecumque illi sint gratissima. Nec dubitare velit Reverenda Paternitas Vestra, quin omnia ac praesertim ea, quae nobis nunc de novitatibus communicavit, secreta apud nos maneant... Datae, ut supra in literis.

1) *Georgius Utišeniović Martinuzzi, ep. Vardariensis.*

2) *Solimanus II.*

N. 1997.

E Regio Monte, 9.X.1541.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Mniszech de Wielkie Kończyce (von Grosskoczitz), capitaneo Lucoviensi,

nomine Francisci Schier, servitoris sui, rogat eum, qui una cum Georgio Hegel, Fuggerorum factore, curatores sunt testamenti defuncti Nicolai Nibschtz, eiusdem Francisci avunculi, ut per Iostum Ludovicum Decium, speciali mandato suo hac in re praeditum, 100 florenorum summam, ipsi ab avunculo testamento legatam, ei persolvere velint.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 506-506v.

N. 1998.

E Regio Monte, 10.X.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori

pro duobus equis eunuchis, sibi per Gabrielem Tarto dono missis, gratias agit; eidem Gabrieli Tarto se quaedam regi oretenus proponenda commisisse nuntiat et rogat, ut ei illa referenti plenam fidem adhibeat.

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 242.

(Adest conc. Latinum cum dato: 11.X.1541, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 643-644.

N. 1999.

E Regio Monte, 10.X.1541.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Hosio (doctori Osio)

pro diligentia et studio Annae, Ioannis Feierabend relictæ viduae, in conservandis eius nemorum iuribus adhibito, gratias agit et alia quaedam eiusdem viduae negotia commendat.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 703.

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 641-642.

N. 2000.

E Regio Monte, 10.X.1541.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Chelmensi, nominato Plocensi, R.P. vice-cancellario,

pro benigna eius erga Annam, Ioannis Feierabent viduam, voluntate in conservandis eius nemorum iuribus exhibita gratias agit et alia quaedam eiusdem viduae negotia commendat.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 642-643.

N. 2001.

E Regio Monte, 11.X.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

sibi consultum videri nuntiat, ut in causa proscriptionis et imperialis banni apud imperatorem et regem Romanorum « pro finali expeditione diligens adhibeatur admonitio »; periculo Turcico imminente, concordiam communemque actionem principum christianorum auspiciatur.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 645-651.

Ad Regem Poloniae, XI Octobris.

De proscriptione et banno imperiali etc.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Non dubito, quin Maiestas Vestra Regia ex legati sui, Nobilis ac Generosi Stanislai Macziewsski, relatione ea omnia, quae ad illius instructionem in causa proscriptionis, in quam ego una cum terris ac subditis meis per Imperialis Camerae Iudicium declaratus sum, post multos labores ac diuturnam moram acta et expedita sint, satis abunde clementer audierit perceperitque. Maiestati itaque Vestrae Regiae pro ea clementia et regia benignitate, qua in ablegando praefato nuntio et oratore suo erga me meosque fideles subditos ac terras usa est, summas ac immortales ago gratias, daturus operam quam maximam, ut istud erga Maiestatem Vestram Regiam humillimis meis obsequiis studiosissime promereri queam.

Ego vero Maiestatem Vestram Regiam pro debita mea obedientia celare nequiquam possum, Nobilem ac Generosum, fidelem mihi dilectum Christofferum a Creytzen, cubicularium et consiliarium meum, quem hac quoque in causa proxime exactis ac celebratis Ratisbonensibus Comitibus ad nonnullos mihi proxime coniunctos Principes, Dominos et amicos meos charissimos, iuxta Maiestatis Vestrae Regiae clemens consilium ac suasum, ablegaveram, post reditum suum hisce elapsis temporibus mihi inter cetera istud quoque exposuisse, videlicet quod quamvis communes status et ordines Sacri Romani Imperii ex Caesareae Maiestatis¹⁾ mandato ad dicti Maiestatis Vestrae Regiae legati instructionem

et nonnullorum Dominorum et amicorum meorum supplicationem sententiam et opinionem suam, iuxta tenorem adiectae copiae, litera A signatae, legato meo ex caesarea Cancellaria traditae et postea per meos ex Germanico in Latinum translatae, composuerint decreverintque, tamen istud per Caesaream Maiestatem propter celerem illius abitionem expediri non potuisse; nec dubium fuisse, quin Caesarea Maiestas, nisi tam cito abiisset, huiusmodi et alia negocia, quae tunc temporis decerni non poterant, clementer expedivisset.

Cum autem (iuxta legati mei relationem) Caesareae Maiestatis secretario, post Maiestatis Suae Caesariae aliorumque Romani Imperii ordinum discessum, per quorundam Electorum ac Principum consiliarios remanentes impositum sit atque demandatum, ut apud Caesaream Maiestatem pro maiori expeditione omnium inexpectatorum negociorum, super quae dicti ordines et status sententiam suam declararunt, diligenter instare aut saltem in id laborare vellet, ut istud a Caesarea Maiestate Romanae Regiae Maiestati²⁾ imponeretur. Cumque illud negotium eo usque pervenerit, ut status et ordines Sacri Romani Imperii, ad quos per Caesaream Maiestatem huiusmodi causa semper antea reiecta est, ita ad hanc rem animati sint, ut etiam nihil in eis desideretur, videtur pro tenui meo iudicio Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae, mei meorumque subditorum et terrarum necessitas postulare, ut apud Romanas Caesaream ac Regiam Maiestates pro finali expeditione diligens adhibeatur admonitio.

Ac quandoquidem nostra haec tempora, propter immanissimi, aeterni propensissimique ad profundendum christianum sanguinem hostis saevitiam ac crudelitatem, tam turbulenta, periculosa ac deploranda existant, ut vix credam (sicut etiam ex historiis constat) omnium hominum etiam antiquorum memoria turbulenteriora exitisse, ego certo, ut homo christianus, merito contristor, et vere saxeam habere cor necesse esset, quem tot clades, aerumnae, miseriae calamitatesque, misero christiano coetui a Dei hominumque hoste saevissimo spoliando, trucidando, abigendo, viciando necandoque christicolae illatae, aliqua saltem ex parte non moverent. Deum igitur Optimum Maximum, defensorem suorum, quos condidit, unice ac devote oro, ut is divina sua misericordia omnibus christianorum supremis, mediis infimisque capitibus indat atque infigat, quo depositis omnibus inter se odiis, dissidiis ac contencionibus aliisque curis, omnes suas opes, vires, conatus, vitae etiam dispendio, solummodo eo dirigant, ut in gloriam Altissimi christicolarumque commodum hostis ille immanissimus tandem vincatur penitusque extinguatur. Ad quod piissimum opus misericors Deus, omnibus severe petentibus strenuoque iuvantibus, divinam suam gratiam largumque auxilium praestabit ac gloriosam victoriam absque omni dubio concedet. Quandoquidem igitur nemo non his temporibus sane turbulenterioribus, quo sibi ab his aliisque imminentibus periculis praecavere quisque commodius posset, tutus esse cupiat, praeterea praesens hoc tempus, ubi quidam Electores, Principes et Domini huic causae favorabiles cernantur, ad istud conficiendum negotium commodissimum appareat, Sacram Maiestatem Regiam subdite atque enixe oro, ut eadem (clementer considerando, quod his unicis rationibus huic negotio remedium inveniri omnesque aliae molestiae et pericula facile praecaveri queant) iuxta Illustrem Principem, Dominum Ioachimum Marchionem Brandenburgensem, Electorem etc., consanguineum meum charissimum, qui in hac causa singularem diligentiam^{a)}, in Maiestatis Vestrae laudatissimaeque Coronae Poloniae ho-

norem ac mei meorumque subditorum et terrarum utilitatem et commodum, personaliter adhibuit ac postea ad Romanam Regiam Maiestatem propterea literas (quarum hic copia, B notata, apparet) dedit et in posterum etiam ad Romanam Caesaream Maiestatem dare benigne pollicitus est, sollicitare instareque dignetur, ut haec tandem proscriptionis causa non secundum statuum ordinumque Regni sententiam ac conclusionem quibusdam personis componenda committeretur, sed penitus tollatur ac antiquetur. Hoc impetrato (uti impetrari posse minime dubito) ac me sic in tuto collocato, minime pigeret minimeque gravaret aut molestum esset, respectu aerumnarum, miseriarum calamitatumque, quibus miseri christicolae quotidie magis ac magis indesinenter miserrimis modis affliguntur, omnem operam summamque diligentiam omnibus viribus iuxta Sacram Maiestatem Vestram Regiam adhibere ac conferre, quo hostis tandem ille christiani sanguinis infensissimus penitus supprimeretur extirpareturque, etiam atque etiam, iterum atque iterum summa diligentia humiliter obtestans, Sacra Maiestas Vestra Regia non tam propter meum meorumque, quam proprium suum commodum, hanc oblatam occasionem arripere atque primo quoque tempore apud dictas Romanas Caesaream Regiamque Maiestates pro abroganda proscriptione instare dignetur, sicut eandem clementer facturam minime dubito.

Ac quamvis, Serenissime Rex, adhuc quaedam alia, quae Theutonicus Magister³⁾ adversus Sacram Maiestatem Vestram Regiam et me ad defendendum praetensam suam iurisdictionem in istis iam habitis Comitiis Sacrae Romanae Caesareae Maiestati reliquisque Romani Imperii ordinibus obtulit, habeam, ea tamen omnia penitus ut cognoscam deque iis plenius deliberem, iam reservabo, ne Sacram Maiestatem Vestram Regiam, alioqui gravissimis rebus occupatam, multis superfluis onerem. Quae ubi Sacram Maiestatem Vestram Regiam scire necessaria eiusdemque in iis consilio opus esse cognovero, tempore oportuno offeram, firmam spem (quae me nunquam frustravit) concipiens, Sacram Maiestatem Vestram Regiam mihi non defuturam. Quae omnia Sacrae Maiestati Vestrae Regiae (quam una cum clarissima laudatissimaque regia sua familia Deo Optimo Maximo commendo) pro summa ac debita mea obedientia significare volui, in Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae favorem ac clementiam me meosque fideles subditos unice commendans. Datae e Regio Monte, ut supra.

a) *in ms. diligentem*
1) *Carolus V.*

2) *Ferdinandus I.*
3) *Valterus a Cronberg.*

N. 2002.

E Regio Monte, 11.X.1541.

Albertus dux in Prussia
doctori Lis

consilia eius de curando morbo Georgii a Kunheim, capitanei Tapiensis,
sibi valde probari nuntiat.

(Latine)

(Adest conc. Latinum cum dato: 9.X.1541, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 651-652.

N. 2003.

E Regio Monte, 12.X.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

«*misericordia motus*» *pro Adamo Polecki (Poleski? in ms. Poletzki), Ioannis Zabrzeziński olim servitore, qui «de improvise et sine dubio malo suadente genio» quendam occidit, intercedit et rogat, ut ei, nunc exuli, rex salvum conductum dare velit, «quo cum iudicio atque occisi amicis de hoc casu transigere possit».*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 652-653.

N. 2004.

E Regio Monte, 12.X.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Zabrzeziński

pro Adamo Polecki (Poletzki), eius olim servitore, qui «inferis sine dubio suadentibus» quendam occidit et propterea nunc exulare cogitur, intercedit et rogat, ut ei a rege salvum conductum impetret.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 653-654.

N. 2005.

E Regio Monte, 12.X.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Zabrzeziński

Gabrielem Tarlo in quibusdam negotiis ad eum mittit et rogat, ut ipsi nomine suo loquenti plenam fidem adhibeat.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 657-658.

N. 2006.

E Regio Monte, 12.X.1541.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Chelmensi, nominato Plocensi, R.P. vice-cancellario,

pro Adamo Polecki (Poletzki), qui «casu quodam et nullo malo proposito» quendam occidit et propterea in exilium aufugere coactus est, intercedit et rogat, ut ei a rege salvum conductum impetret.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 654-656.

N. 2007.

E Regio Monte, 12.X.1541.

*Albertus dux in Prussia
duci Slucensi [Georgio Olelkowicz]
pro Adamo Polecki, Ioannis Zabrzeziński quondam servitore, qui « casu
et minime animo nocendi » quendam occidit et propterea nunc exu-
lem agere cogitur, intercedit et rogat, ut ei in impetrando a rege
salvo conductu auxilio sit.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 656-657.

N. 2008.

E Regio Monte, 17.X.1541.

*Albertus dux in Prussia
Thomae Sobocki, tribuno Lanciciensis,
ad litteras de negotio regundorum finium culpa commissariorum suorum
nondum expedito respondet; pro bona eius erga se voluntate gratias
agit; nova, si quae habuerit, sibi perscribi petit.*

Cfr. El. XXXVI, N. 701.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 506v-509v.

An Thomam Sobozky, den 17 Octobris anno 1541.

Unsern gonstigen grus und gnedigen willen zuvorn.

Erenvehster, besonder lieber.

Euer schreiben, des datum helt zur Wilda den 3 Octobris, haben wir gestriges tages, als den 16 gemeltes monats, entpfangen und daraus ewer erpittlich, dinstlich gewogen gemut gegen uns in dem, das ir uns vormelden thut, wie die konigklichen commissarien, so zur lytyschen grenzten vorordent gewessen, bey ko.mt. zu Polann etc., unserm gnedigen herren und freuntlichen, lieben ohmen, widerumb ankommen und derselben, unter andern, als het es, das die grenitzen auf dissmal abermals nit vortgegangen, sunder stutzig verblieben, nit ahn inen, so viel mehr unsern commissarien gemangelt, einbrocht, die schuldt auch furnemblich alle darumb auf unsere commissarien geworfen, wie dieselbigen solten die grenitzen an dem ort, als die briff des ewigen vortrags zwischen dem grosfursthumb Lithaw und dem hertzogkthumb Preussen ausweissen theten anzufahen und zugehen nit bewilligen haben wollen und das solches irer ko.mt. in^v anmerckung, das dieselb mercklichen uncosten darauf gewandt und solchen handel gern zum endt gebracht gesehen hett, nit wenig beschwerlich gewessen, sampt fernern inhalt nach der lenge eingenommen und verstanden. Nun thun wir uns ins erste ewers getreuen, gewogenen und guten willens, daraus wir ewer dienstlich, zuneiglich gemut gegen uns spuren, gantz gnediglichen bedancken. Wollens hinwider euer person in gnaden zu beschulden in kein vorgessen stellen. Und ist uns warlich in einem theil selbst fast beschwerlich und bekumerlich, das irer ko.mt. gemut^b bevorab in derselben loblichen, hohen, herlichen^v, des pillig zu vorschoenen, in wenigsten mit solchen ungleichen berichten vorseret sol wer-

den. Dan wir verhoffen, ire ko.mt. uns dermassen bisher erkandt, wie wir uns dann auch, one rumhe, jhe und alwegen der erbarkeyt bevlissen, das wir ire ko.mt. nit gern etwas anders, dann es an im selbs berichten wolten lassen. Zum andern teil aber zum hochsten erfreulich, das wir ire ko.mt. also erkennen, das dieselb zwey ohren, eyns vor den kleger, und das ander fur den beklagten oder beschuldigten. Haben wir dann solchs ire ko.mt. uns durch ir eigen schreiben, welchs gleich dise stundt, als wir dis unser schreiben abfertigen wollen, bey uns ankommen, gantz genediglichen vormelt, des wir uns gegen irer ko.mt. in aller underthenigkeit gantz dinstlichs vleis thun bedanoken mit genedigem begeren, ir auch irer ko.[mt.] von unserntwegen hohen, underthenigen danck darfur sagen wollet. Und hetten wol leiden mogen, die koniglichen commissarien hetten irer maiestat den handel, wie er an im selbst beschehen und vorhandelt, und nicht anderst furbracht^{d)}. Dann wir gern ire mt. solchen handel geortert und zw einem begerten ende gebracht gesehen, also hetten wirs auch in betrachtung, das uns nit geringe gelts spilderung und expens darauf gelaufen, nit allein gern geschen, sonder auch von dem Almechtigen hertzlichen gewünschet^{e)}. Hirneben wollen wir euch genediger¹⁾ meinung^{e)} nicht vorhalten, das wir dem ernvhesten unserm besondern lieben Gabrielln Terlaw einen kurtzen bericht disser handelungen halben, der sich in grundt der warheit nit anderst und auch also, das^{h)} es mit den henden zu greifen kein mocht befinden soll, mitgegeben. Zw dem so seind wir uber das itzundt einen gemeinen landtag zu halten und uns mit unseren lieben getreuen underthanen von landen und stetten in dissen und andern sachen zu beratschlagen, auch alsdann eine eygene botschaft oder schriften an ire ko.mt., durch welche dieselb des rechten grunts der warheit berichtet werden soll, abzufertigen gantzlichen in willens. Ist derwegen unser genediges sinen und begern an euch, weyl die bericht dergestalt uns zur beschwerung und die schuldt unsern commissarien damit aufzulegen dargestellt, ir wollet solche unsere kurtze bericht neben dem Terlaw mit vleiss, wie wir dann doran gar nit zweifeln, vorstellen helfen, der trostlichen zuvorsicht, ko.mt. ir gemut dohin richten, das sie dasjenige dardurch, wes die warheit, in gnaden zu erkennen werd haben.

Das sider oft bemelter Terlaw abgeraist, keine andere zeitungen bey euch ankommen, vorsehen wir uns, ir habt numher allerley zeitungen, davon euch seltzame reden alhie gegangen, bekommen, genediglich begerende, wes von solchen an euch gelangt, ir wollet uns dieselbigen auch gutwillig mitteilen. Der herr von Posenn¹⁾, welcher one zweifel allerley zeitungen mitbringt, sol in kurtz bey uns alhie ankommen und ferner in eilender post zu ko.mt. gegen der Willd vorreisen, wie wir dann nicht zweifeln, er solches durch sein schreiben seiner ko.mt. algerait vormelt. Dis haben wir euch, als dem wir mit sondern gnaden gewogen, auf ewer schreiben genediger meinung in antwort nicht vorhalten wollen. Datum Konigspergk, ut supra.

Commissio Principis propria.
 Princeps audivit legere praesentibus
 Burggrabio et Cancellario.
 J. Schurstab.

a) *supra lineam pro expuncto*: zu
 b) *in margine*.
 c) *in margine pro verbo expuncto*.
 d) *sequuntur tres lineae expunctae*.

e) *sequuntur duae lineae expunctae*.
 f)-g) *in margine*.
 h) *sequitur expunctum*: wir.
 1) *Andreas a Görka*.

E Regio Monte, 18.X.1541.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario, negotium regundorum finium denuo impeditum esse plurimum condolet; pro communicatis novitatibus gratias agit et ob infelicitatem reginae Isabellae contristatur; aliqua nova ex Hungaria sibi allata scribit.

Cfr. El. XXXVI, N. 702.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162, et Germanicum cum dato: 17.X.1541, HBA, B, K. 1161).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 658-662.

Ad Samuelem Matzieuski, XVIII Octobris.

Dolet non ex sententia processisse negotium hoc finium regundorum.

Syncerum fraternumque animi affectum ac quicquid grati praestare poterimus unquam.

Reverende in Christo Pater, Domine, Amice ac Frater nobis charissime.

Reverendae Paternitatis Vestrae literas, Wilnae IIII Octobris praesentis huius anni datas, heri accepimus atque ex iisdem Reverendam Paternitatem Vestram plurimum condolere, cum Sacrae Maiestati Regiae, Domino et avunculo nostro clementissimo, tum nobis non ex sententia processisse negotium hoc finium regundorum, eandemque non satis scire, quae res impedimento fuerit, quominus istae controversiae de limitibus adhuc sint terminatae, aliaque his adiuncta intelleximus. Reverendae igitur Paternitati Vestrae propter tam amicam, studiosam fraternamque voluntatem dexteritatemque, quam ex hoc, quod eadem literis suis humanissimis, toties nos invisere non gravetur, colligere cognoscereque cogimur, gratias agimus maximas, summis erga eandem semper viribus amice fraterneque recompensando. Nos certe, ut ingenuae fateamur, plurimum condolemus hoc finium regundorum negotium praeter omnem nostram spem nunc denuo impeditum atque in isto nihil fructiferi effectum esse, respectu quod Sacra Maiestas Regia (cui iam in sua maxima laudatissima honestissimaque senectute merito parcendum esset) propterea gravari debeat. Sperabimus autem ad Deum Optimum Maximum firmiter, laudatissime nominatam Sacram Maiestatem Regiam Reverendamque Paternitatem Vestram ex veris nostris declarationibus, quod in nostris commissariis mora aut culpa nulla fuerit, manifestissime deprehensuras. Nam ubi contractus, literis sigillisque confirmatos, secutum fuisset, haec causa sine dubio exitum quoque suum optatum consequuta fuisset. Haec tamen omnia divinae voluntati concedimus cogitantes, quod hostis christianorum ac princeps huius mundi diabolus, perturbator bonarum rerum omnium, pium hoc opus impederit. Ac quamvis Sacrae Maiestati Regiae ac Reverendae Paternitati Vestrae de his omnibus veram declarationem hoc iam tempore libenter adscripsissemus, eam tamen ob causam adhuc intermisimus, quod cum fidelibus nostris de terris ac civitatibus subditis de iis (quo pacto ea Sacrae Maiestati Regiae, tanquam Domino feudi, pro summa nostra necessitate humiliter indicari debeant) prius colloqui consiliaque capere necesse habeamus. Nihilominus tamen Sacram Maiestatem Regiam Reverendamque Paternitatem Vestram propter hanc causam brevi per le-

gatum aut literas nostras invisere atque eisdem ea, quae vera sunt, indicari curare studuimus, amice fraterneque orantes (quandoquidem infensissimus ille hostis diabolus tam varia molitur), Reverenda Paternitas Vestra pro se firmiter credere Sacraeque Maiestati Regiae certo indicare ipsique persuaderi velit nos quidvis potius cupere ac desiderare, quam Sacram Maiestatem ipsius Regiam in minimo etiam gravari debere, praeterea summam operam adhibere, ut nos secundum nostram declarationem ea, quae contractus literis sigillisque confirmati demonstrant atque requirunt, consequi servareque queamus. Ad haec Reverendam Paternitatem Vestram ex sincero fraternoque affectu celare nolumus, nos Nobili ac Generoso, sincere nobis dilecto Gabrieli Tharlaw, huius negotii brevem declarationem dedisse, amico fraternoque animo petentes, Reverenda Paternitas Vestra istam declarationem iuxta dictum Dominum Tharlau summa diligentia (uti minime dubitamus) cognoscendam promovere velit.

Propter communicatas nobis novitates Reverendae Paternitati Vestrae amicas fraternasque gratias agimus. Nos certe, quod cum nostris miserimo isto modo acciderit, plurimum et merito contristamur, praesertim propter Serenissimam atque optimam Reginam Isabellam, in primis cum Sacram Maiestatem Regiam propterea non minimum angere atque condolere sciamus. Attamen cum sine dubio divina haec quoque fuerit voluntas, eidem omnia committenda sunt. Deum omnipotentem severe orando, ut is in omnibus benignam suam gratiam ac divinam voluntatem (prout quotidie oramus) etiam in nobis fieri benigne concedere dignetur. Prorsus nihil dubitantes, quin laudatissimus iam senescens Rex, iuxta alia Christianitatis capita, quomodo misero christiano coetui subveniendum infensissimoque christiani nominis et sanguinis hosti maximis viribus tandem resistendum sit, clementer sit consideraturus.

Novarum rerum Reverendae Paternitati Vestrae aliud scribere nihil scimus, quam quod nobis ante paucos dies huc adscriptum est, nempe crudelem illum christianorum hostem ex Regnis Hungariae discessisse atque Turcam Wallandt¹⁾ cum tribus personis in Turciam secum duxisse, iuniorum vero Regem²⁾ eiusdemque matrem³⁾ ac Petrum Perenni⁴⁾ versus Lip misisse, Budam quoque ad defendendum eam filio suo ac quibusdam aliis Waschis tradidisse, praeterea cum Regia Maiestate usque ad Quadragesimam indutias fecisse, intra quod temporis spatium ipsius Regia Maiestas, quid ad Turcae postulata facere in animo habeat, respondere debet; nihilominus, quod detractis sancti Georgii templi in Buda sacris, id deo suo Machomet dedicavit atque sanctificavit ac triumphum propter victos christianos magna solennitate egerit. Omnipotens ac misericors Deus iniquissimis suis conatibus et tyrannidi resistere atque christicolam suam apud verbum suum sanctum conservare ipsosque in eo clementer defendere, praeterea contra hereditarium illum hostem victoriam tandem gloriosam gratiose concedere dignetur. Haec Reverendae Paternitati Vestrae, tanquam amico ac fratri nostro charissimo, ad ipsius literas ex amico, sincero fraternoque animi affectu respondere volumus. Quam nunc Deo Optimo Maximo commendamus prosperrimamque quam diutissime peroptamus. Datae ex Regio Monte, XVIII Octobris.

Commissio Principis propria.
Christophorus Sangner.

1) *Valentinus Török.*

2) *Ioannes Sigismundus.*

3) *Isabella.*

4) *Petrus Perényi.*

N. 2010.

E Regio Monte, 20.X.1541

*Albertus dux in Prussia
regi Galliae [Francisco I]
duodecim falcones dono mittit et obsequia offert.*

(Latine).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 662-664.

N. 2011.

E Regio Monte, 20.X.1541

*Albertus dux in Prussia
Annae Momorantio [Montmorency], regis Galliae comestabili,
octo falcones dono mittit.*

(Latine).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 664-666.

N. 2012.

E Regio Monte, 22.X.1541.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Kościelecki (Coczieleczki), palatino Brestensi,
quattuor falcones, duos magnos et duos parvos, « una cum duobus libris
Theutonicis », quos ei promiserat, dono mittit.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 266-267.

N. 2013.

E Regio Monte, 29.X.1541.

*Albertus dux in Prussia
Fabiano Czema (Zeme), succamerario Pomeraniae,
cum coniugi suae [Dorotheae] a Gabriele Tarlo delatum sit regem car-
parum avidissimum esse, aliquot carpas regi tradendas mittit et
Gabrielem Tarlo salutari iubet.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 510-510v.

N. 2014.

E Regio Monte, 1.XI.1541.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Bielewicz (Belowitz)
pro duobus equis sibi dono missis nomine suo et coniugis suae [Dorotheae] gratias agit; filium eius in aula sua degentem bene educatum iri promittit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, f. 131.

N. 2015.

E Regio Monte, 2.XI.1541.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae
causam tuguriorum in confinibus ad fluvios Wieschwielia et Lepona, necnon apud villam Koczycze aedificatorum, ad proximum cum rege conventum reicit et rogat, ut rex hanc moram boni consulere velit.*

Cfr. El. XXX, N. 245.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, 667-669.

Ad Sacram Maiestatem Regiam Poloniae.

Promittit eam per suos legatos de tuguriolis certiore reddere.

2 Novembris.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae literas, Vilnae XVIII Octobris nuper datas, ab eiusdem cubiculario qua decet reverentia accepi. In quibus tuguria, in terris controversis exstructa, non solum non demolita, sed quaedam stativa aedificata esse iuxta fluvium Wieschwielia et Coczitze scribit, postulans, ut ista tam in terris suis Steinnensibus, Jurbarensibus et iuxta fluvium Liepuna, quam etiam ad villam Coczitze et ad fluvium Wieszwielia aedificata, praesente suo cubiculario demoliri curem. Ea omnia et si quae his erant adiuncta, debita diligentia legi atque percepti. Cum autem de his omnibus mihi parum vel potius nihil iam constet, neque de re ignota quis commode loqui possit, nihil de his hoc tempore ad Sacram Maiestatem Vestram Regiam, quamquam lubens etiam vellem, scribere possum. Scribi autem omnibus meis capitaneis, quos haec scire decet, curavi, ab eis istius causae veram declarationem postulans. Postquam vero propter alia quaedam et praecipue infectum nuper regundorum finium negotium Sacram Maiestatem Vestram Regiam, summa mea meorumque urgente necessitate, brevi Deo volente invisere constituerim, differam ad id tempus etiam causam tuguriolorum, et quaecumque interim ex capitaneis meis cognovero, Sacram Maiestatem Vestram Regiam per legatos meos scire faciam, humiliter dediteque orans, Sacra Maiestas Vestra Regia istam moram in mittendis meis legatis (cum eos citius mittere haud potuerim) atque ad proximas literas respondendi dilationem boni consulere dignetur. Neque est

quod multis orem, ne Sacra Maiestas Vestra Regia interim (me inaudito) in his causis quid statuatur aut me condemnet, cum sciam atque vera experientia notissimum sit omnibus, quam clementem, aequam atque iustam se cuilibet exhibere soleat iustitiamque ex innata bonitate administrare propensa sit. Addunt insuper mihi animum et istam de Sacra Maiestate Vestra Regia egregiam spem conceptam mirum in modum augent proxime ante has Sacrae Maiestatis Vestrae Regiae literae ad me datae, quae inter reliqua in eum modum sic habent: Etsi quid citius de negotio scilicet granicierum a suis afferretur, nihilominus tamen se legatos meos expectare et pro officio suo alteram mihi aurem asservere. Pro qua laudatissima regia virtute tantoque Regno dignissima, cum praeclarius aut praestantius quippiam ea excogitari, dici aut iactari haud possit, Sacrae Maiestati Vestrae Regiae quas possum quasque debeo gratias ago maximas, summo semper deditissimoque studio in id incumbens, ut Sacrae Maiestati Vestrae Regiae non tam agere, quam aliquando debitas gratias referre et erga eandem summis viribus omnibusque fortunis demereri queam... Datae ex Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.
Christophorus Sangner.

N. 2016.

E Regio Monte, 4.XI.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, exercituum R.P. capitaneo, relatum ad se esse nuntiat «miseros christicolos iam denuo ab immanissimo christiani nominis ac sanguinis hoste prostratos ac caesos esse», qua ex re ingentem se dolorem accepisse scribit; rogat, ut se de rebus Hungaricis certiore reddere et crebrius per litteras suas invisere velit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 670-671.

N. 2017.

E Regio Monte, 6.XI.1541.

Albertus dux in Prussia

Georgio Siemionowicz Olelkowicz, duci Slucensi, litteras eius, «humanitate plenissimas», sibi per Ioannem Kobylński (Cobilenski) allatas esse nuntiat et pro tanta in se benevolentia gratias agit; rogat, ut Ioanni Kobylński nomine suo loquenti plenam fidem adhibeat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 671-672.

N. 2018.

E Regio Monte, 13.XI.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

Ioannem a Kreitzen, cancellarium suum, et Andream Rippen, capitaneum in Kaymen (Caymen), in negotio regundorum finium ad regem mittit et rogat, ut ipsis nomine suo loquentibus plenam adhibeat fidem.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 675-676.

N. 2019.

E Regio Monte, 13.XI.1541.

Praelati, barones, equester ordo et reliqui status Ducatus Prussiae

Sigismundo I regi Poloniae

rogant, ut Ioanni a Kreitzen, ducis in Prussia cancellario, et Andreae a Rippen, capitaneo in Kaymen (Caymen), collegis et confratribus eorum, in negotio regundorum finium ad regem missis, eorum nomine loquentibus, plenam fidem adhibeat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 672-674.

N. 2020.

E Regio Monte, 13.XI.1541.

Albertus dux in Prussia

Bonae reginae Poloniae

Ioannem a Kreitzen, cancellarium suum, et Andream Rippen, capitaneum in Kaymen (Caymen), in quibusdam negotiis suis ad regem mittit; rogat, ut regina, quam nomine suo salutare debent, eis auctoritate sua reginali adsit et nomine suo loquentibus fidem praestet.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 676-678.

N. 2021.

E Regio Monte, 14.XI.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

pro tribus parvulis liberis Hieronymi Fersbach, civis Thilsensis, una cum uxore recens defuncti, intercedit et rogat, ut ligna a patre eorum in silvis Stanislai Stanisławowicz [Kieżgaŕto], capitanei Samogitiae, olim conducta, nunc post mortem eiusdem capitanei arrestata, pauperibus orphanis restituantur.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 682-684.

N. 2022.

E Regio Monte, 14.XI.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

pro subdito regio Ioanne Blum, cive Gedanensi, multos debitores in ditionibus regis: Russia, Lithuania Regnoque Poloniae habente, intercedit et rogat, ut ei rex auctoritate sua in recuperandis a debitoribus eius ingentibus pecuniae summis adesse et salvum conductum concedere velit.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 684-686.

N. 2023.

E Regio Monte, 14.XI.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori

Ioannem a Kreitzen, cancellarium suum, et Andream Rippen, capitaneum in Kaymen (Caymen), ad regem senioremissos, commendat et rogat, ut eis nomine suo loquentibus et ipsum salutantibus fidem adhibeat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 678-679.

N. 2024.

E Regio Monte, 14.XI.1541.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,

Ioannem a Kreitzen, cancellarium suum, et Andream Rippen, capitaneum in Kaymen (Caymen), ad regem missos, commendat et rogat, ut eos audiat et plenam in omnibus fidem eis adhibeat.

(Sub textu: Mutatis mutandis ad Dominum Nicolaum Wolsski, Dominum Petrum Oppolinski, Dominum Ioannem Radivil, Dominum Ducem Slucensem, Dominum Stanislaum Ozium).

(Latine)

(Cfr. El. XXXVI, N. 709.

Ostpr. Fol., vol. 51, f. 680.

N. 2025.

E Regio Monte, 14.XI.1541.

Albertus dux in Prussia

*Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,
pro Ioanne Blum, cive Gedanensi, intercedit, ut causam eius regi com-
mendet et in recuperandis a debitoribus suis, quos in Russia, Lithua-
nia et Regno Poloniae, praesertim inter Iudaeos, multos habet, in-
gentibus pecuniarum summis et in obtinendo a rege salvo conductu
auxilio sit.*

*(Sub textu: Mutatis mutandis ad Stanislaum Hosium, ad Andream
de Gorcka. Item ad Iohannem Comitem in Thantzin, ad civitatem
Lublinensem).*

(Latine)

(Adsunt 2 conc. Latina, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 687-688.

N. 2026.

E Regio Monte, 14.XI.1541.

Albertus dux in Prussia

Thomae Sobocki, tribuno Lanciciensi,

*Ioannem a Kreitzen (von Creyzt), cancellarium suum, et Andream Rip-
pen, capitaneum in Kaymen (Caymen), in gravibus quibusdam ne-
gotiis ad regem et ad eum mittit et rogat, ut eis nomine suo lo-
quentibus plenam fidem adhibeat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 515v-516v.

N. 2027.

E Regio Monte, 16.XI.1541.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Radziwiłł, capitaneo Samogitiae,

*pro Iacobo Grolock, cive Regiomontano, intercedit et rogat, ut in recu-
perandis a debitore suo Ioanne Wirowski, Lithuano, 15 sexagenis
Lithuanicis intercessione sua adsit.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 681-682.

N. 2028.

E Regio Monte, 13.XII.1541.

Albertus dux in Prussia

Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto, pro litteris, 20.XI.1541 ad se datis et per Assuerum Brandt sibi allatis, gratias agit; exemplar litterarum suarum, 1.XI. missarum, iterum mittit, nam in dubio se esse scribit, an eas Decius acceperit necne; varii generis vina sibi mitti iubet.

(Schedula: expetit consilium, quomodo debitum sibi a rege annuum salarium quam citissime obtineri possit).

(Germanice)

Cfr. El. XLVIII, N. 418.

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 516v-518.

N. 2029.

E Regio Monte, 15.XII.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

iterum rogat, ut rex benignas aures praebeat et nomine suo loquentibus plenam fidem adhibeat Ioanni a Kreitzen, cancellario suo, et Andreae Rippen, capitano in Kaymen (Caymen), in quibusdam suis ac subditorum suorum negotiis ad regem missis.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 688-689.

N. 2030.

E Regio Monte, 15.XII.1541.

Albertus dux in Prussia

archiepiscopo Gnesnensi [Petro Gamrat]

pro Alexandro Andreae Neuseler, litterarum exhibitore, qui integros 7 annos abbati Plocensi nunc defuncto servivit « atque pro tali servitio ne obulum quidem accepit », intercedit et rogat, ut intercessione archiepiscopi mediante aliquam mercedem laborum suorum consequi possit.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 705.

(Adest conc. Latinum, cum dato: 14.XII.1541, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 689-690.

N. 2031.

E Regio Monte, 28.XII.1541.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori

per cubicularium regium ad se missum, nunc in aulam regiam redeuntem, eum salutatur et pro benevolentia et studio oratoribus suis [Ioanni a Kreitzen et Andreae Rippen] exhibita ei gratias agit et obsequia defert.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 690-692.

N. 2032.

E Regio Monte, 28.XII.1541.

Albertus dux in Prussia

Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,

rogatur, ut aliquot uncias aureorum foliorum — iuxta acclusum exemplum — sibi mittat.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, f. 518v.

N. 2033.

E Regio Monte, 28.XII.1541.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,

ad exhilarandum animum eius mittit aliquot cantica, ut ea cum amicis canendo sui reminiscatur.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 518-519.

N. 2034.

E Regio Monte, 29.XII.1541.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,

edoceri cupit, quantum rex equitibus suis levis armaturae et aliis in Podolia et alibi persolvat.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 519-519v.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae*

pro transmissis sibi regis Romanorum litteris in causa proscriptionis suae ad regem Poloniae datis gratias agit; consultum sibi videri nuntiat, ut rex commissarios suos designare velit, qui cum imperialibus commissariis de eadem proscriptione abroganda vel saltem suspendenda agant.

(Adest brevior versio Germanica cum dato: 25.XII.1541, Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 519v-522v, et conc. Latinum cum dato: 28.XII.1541, cum differentiis formalibus, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 692-699.

Ultima Decembris. Agit^{a)} gratias, quod literas Romanorum^{b)}, Ungariae et Bohemiae Regi¹⁾ in causa proscriptionis perscripserat etc.

Serenissime Rex, etc.

Literas Regiae Vestrae Maiestatis una cum his, quae ad ipsam Romanorum, Ungariae et Bohemiae Rex in causa proscriptionis perscripserat, quoniam cardine scilicet eadem versetur indicando, per suum mihi cubicularium transmisit, debita obedientia et reverentia, qua decet, accepi tenoremque earum legendo intellexi, certo ac plane indubitato inde argumento colligens, paterna qua sollicitudine regiaeque clementi propensione eadem me una meo cum Ducatu ac subditis hactenus prosequuta est et adhuc actu prosequitur. Qua de re Regiae Vestrae Maiestati amplissimas gratias agere haud unquam desistam, vicissim et me ipsum offerendo erga Regiam Vestram Maiestatem totamque regiam domum ac laudatam Poloniae Coronam, ut fidelem, gratum et obedientem feudatarium Principem sanguineque iunctum amicum decet, Dei cum adiutorio in omnibus, aequitatem concernentibus, perpetuo obstrictum devinctumque agnoscam; merito denique et Deum Optimum Maximum laudare et benedicere pergam, benigna cuius gratia mediante Regiae Vestrae Maiestatis fideli promotione negotium huc usque provolutum est. Idem praestet efficiatque, quo et foelicem aliquando, pacificum et plane confirmatum exitum et finem consequatur. Sed quoniam Regia Vestra Maiestas, mea tandem super hac causa animi sensa requirens, eoque quod haec eadem aequae me ac^{c)} Regiam Vestram Maiestatem concernant, quid hinc demum mihi videatur necessario agendum, scire cupit, agnosco utique me tam debita ex obedientia, quam alias summae coniunctionis liga, et etiam mea propria et terrarum ac subditorum meorum necessitate sic postulante, iuxta mei intellectus tenuitatem ad morem gerendum obstrictum.

Cum itaque Regia Vestra Maiestas non sit nescia, quod per illam saepius antea non solum apud Romanas Caesaream²⁾ ac Regiam Maiestates, verum etiam reliquos omnes Dominos et amicos meos, utpote Sacri Romani Imperii ordines hoc ipso in negotio multum diligentiae ac operae, magnis quoque cum sumptibus, sit adhibitum, quod et a me diligenter factum esse satis certo scio, et tamen haec ipsa causa hactenus ad iustum ac debitum suum finem pervenire nondum potuerit, cumque necessario quodam rerum ordine quodlibet negotium principium suum

sortiri debeat, certe pro tenui meo iudicio summe necessarium iudico, idque tamquam phasallus et sanguine iunctus Princeps Maiestati Vestrae Regiae fideliter suadeo, ut eadem (non attento, quod temporis spacium valde breve sit et fortassis per hoc res ipsa tam cito expediri et ad debitum suum finem deduci non possit) hanc oportunitatem et occasionem nullo modo negligat, sed varia huius temporis urgentia pericula sortesque diversas et ancipites rerum fluctus (in quibus plus concordiae, subsidiariae fidelitatis et auxilii desideratur quam dissidii) et id genus alia perpendendo, commissarios suos in Dei nomine ad inceptandum hoc negotium mittat. Et ante omnia pro regia sua innata prudentia apud praefatam Romanam Regiam Maiestatem summa diligentia id quaerat, petat ac postulet, ut a Romana Regia Maiestate Sua huiusmodi commissarii deputentur, qui utrinque^{d)} regionum liberorum commodum ac utilitatem spectare atque quaerere studeant. Nec dubitabo, quin Maiestas Vestra Regia ad hoc grave negotium ex Amplissimo Poloniae Regno tales commissarios sit ordinatura, qui ius suum haereditarium, proprietatem ac feudalem iusticiam optimo modo scient defendere. Ad haec pro tenui meo intellectu haud inconsultum mihi videretur, si istud quoque summo studio atque diligentia apud saepedictam Romanam Regiam Maiestatem sollicitaretur, quo eadem causae gravitatem et periculosum horum temporum statum considerando utriusque partis commissariis eam potestatem tribueret, ut si forte contingeret conatum concordiae irritum fieri, nec (quod Deus immensa sua pietate avertat) annuo temporis spacio ad finem perducere posset, eis proscriptionis sententiam tandiu liceret suspendere, donec causa ipsa ad iustum suum finem ac debitum exitum perveniret.

Quidquid ergo Maiestas Vestra Regia hac in causa effecerit expedieritque, de eo per illam cercior fieri subdite oro, quo scilicet de eo (ut qui Maiestatis Vestrae Regiae Amplissimaeque Poloniae Coronae foelicem statum ac rerum suarum prosperum successum nullo non tempore vehementer cognoscere cupio) gaudere possim. Id Maiestati Vestrae Regiae pro debita mea obedientia significare volui, promittens atque pollicens, quidquid deinceps ad eam quoque rem auxilii consiliique adferre poterit et de eo per Maiestatem Vestram Regiam admonitus fuero, me, utpote Maiestatis Vestrae Regiae fidelem Principem phasallum, pro debito meo eaque fidelitate, qua Maiestati Vestrae Regiae adstrictus sum, necessitudinisque vinculo, diligenter istud facturum.

Praeterea Regiam Vestram Maiestatem addicta subiectione clam ea habere nequeo, quae Illustrissimus Princeps ac Dominus Ioachimus Marchio Brandenburgensis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius et Elector etc., cognatus ac frater meus plurimum diligendus, proprio suo veredario inter cetera mihi haud ita nuper significare voluit. Quo pacto scilicet Sua Charitas una cum Suae Charitatis affinibus, cognatis et fratribus, Principe Electore³⁾ caeterisque Ducibus Saxoniae, Lantgravio Hessorum⁴⁾ ac aliis praeterito nuper Dominico die post Galli Neunburgae convenerit et de Turcica tyrannide propulsanda augustam, seriam^{o)} et celebrem consultationem instituerint, ad hunc scopum unanimiter concludendo, quod si etiam Romani Imperii ac aliorum potentatuum subsidiariae copiae accedere detrectarent aut certe ad mature resistendum opportunitatem negligenter, interimque in exicium Suis Charitibus hostem imminere contingeret et obruere quoquo modo attentaret, ipsae nihilosecius¹⁾ una cum Bohemis, Moravis, Schlesitis et ceteris illis locis in periculo constitutis provinciis universis simul et corporum et

rerum collectis viribus, quantum Dei cum adiutorio sibi possibile fuerit, se ac alios quosque de eo vindicare ac defendere proposuerint. Super quo et me non tantum suo, sed et aliorum omnium nomine consuluit auxiliūque mecum peccit, amice perquirendo, certior reddi cupiens, quidnam suppetiarum sibi de me persuaderi possit, quantumque auxiliū promitterem adiungere exercitui suo, multis ac praestantioribus officiis se mihi amice offerendo^{g)} contestandoque, quoniam et mihi vicissim de ipsis omnibus polliceri liceret necessitate premente.

Quum igitur Regia Vestra Maiestas privata regia clemencia tam sibi ac laudabili Poloniae Coronae, quam mihi meisque subditis et Ducatui, in commodum et utilitatem antea admiserit ac consenserit, quo Dominorum, familiarium et amicorum meorum favorem mihi peculiariter conciliare, me ipsis colligare et eos allicere conarer, ad quorum auxilia, suffragia, consilia et officia privata, antea a sanguine iunctis amicis in adversis meis fortunis plurivarie experta, eciam deinceps ingruente hostili aliqua manu confugere liceret, illud ipsum et mutui auxiliū subsidiique vicissitudinaria appensione confirmarem, cognatorum periculis et necessitatibus subveniendo, praecipue quum illud tale institutum (quo et super caetera commoveor) non praedicta tantum Regna, electorios et alios Principatus ac finitimas provincias complectens, sed et ad Dei nomen ac gloriam necnon universam christianae religionis Rempublicam spectare dinoscitur. Ad laudabile ac insigne illud opus, quod sui natura christianum est, quum praecipue ad Dei gloriam et desolatae Christianitati in defensionem vergat (quam defendendam et quilibet christianus universam facultatem suam impendere tenetur) quis non accendatur?

Ex his itaque causis iam plane mecum deliberavi petitas illas auxiliares copias, quantum facultatis meae tenuitas et causae occasio feret, appendere, nec video, honestis quibus mediis denegare et subterfugere liceret. Cum vero compertum non habeam, quomodo Maiestas Vestra Regia hoc tempore cum Thurcarum tyranno, christiani sanguinis ac nominis hoste, conveniat, qui non minus Maiestati Vestrae Regiae Amplissimaeque Poloniae Coronae quam aliis circumiacentibus regionibus, dominiis atque Regnis vicinitate iunctus est, et ego tamen Dominis et amicis meis ita libenter inservire ac auxilium meum praestare vellem; ne quid interea mihi, si Maiestati Vestrae Regiae debita mea obnoxii officii servicia in ancipiti horum temporum sorte necessaria forte fortuna forent et ea a me requireret, deficeret, Maiestatem Vestram Regiam humillimis praecibus oro, eadem dignetur mihi hac in parte animi sui sensum graciose aperire, quo instructor ad ferendum communi Christianitati adeoque Dominis et amicis meis auxilium ob supra dictas causas inveniri queam. Haec erga Regiam Vestram Maiestatem debita obedientia et subiectione, obnoxiiis omni tempore officiis, omnem meam iuxta possibilitatem promereri studebo. Quae bene foeliciterque valeat. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria^{g)}.
Christianus.

a) in ms. Agat

b) verbum correctum.

c) in ms. ad.

d) in ms. utriusque.

e) in ms. seriem.

f) correctum ex: nihilosequius.

g) sequitur expunctum: ex rela

1) Ferdinandus I.

2) Carolus V.

3) Ioannes Fridericus.

4) Philippus.

N. 2036.

E Regio Monte, 31.XII.1541.

*Albertus dux in Prussia
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,
pro negotiorum suorum apud regem promotione et benevolentia orato-
ribus suis [Ioanni a Kreitzen et Andreae Rippen] exhibita gratias
agit; negotia sua iterum commendat.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 709.

(Adest conc. Latinum cum dato: 28.XII.1541, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 699-700.

N. 2037.

E Regio Monte, 31.XII.1541.

*Albertus dux in Prussia
Stanislao Łaski, castellano Przemętensi,
pro litteris ad se datis gratias agit; de miserrimo Hungariae casu et
principum christianorum inter se discordia dolet.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 710.

(Adest conc. Latinum cum dato: 30.XII.1541, HBA, B, K. 1162).

Ostpr. Fol., vol. 51, ff. 700-702.

1542

N. 2038.

E Regio Monte, 3.I.1542.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae
de negotio finium inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae regundorum; de villa Koczyce (Coadiuten); de iniuriis et damnis in confiniis utrinque illatis; de controversiis componendis etc.*
(Latine)
(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163, et Germanicum cum dato: 4.I.1542, HBA, B, K. 1163).
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 7-23.

N. 2039.

E Regio Monte, [3.I.1542].

*Albertus dux in Prussia
proceribus Regni Poloniae
prolixè de negotio regundorum finium, similiter ac in litteris ad regem datis.*
(Latine)
Conc., HBA, B, K. 1163, cum adnotatione: Diese copey ist nicht ausgangen; ist nicht registriert worden.

N. 2040.

E Regio Monte, 4.I.1542.

*Albertus dux in Prussia
Bonae reginae Poloniae
pro Ioanne Cromer, subdito suo, intercedit, qui a Matthaeo Kleiss, «ex consensu ac voluntate» Hieronymi Meck, civis Vilmensis, nonnulla ligna, vulgo Wagenschos et Klapholtz appellata, emerat et pecuniam pro eis persolverat, et cui eadem ligna a Francisco Guberstein, cive Caunensi, detenta et arrestata sunt; rogat, ut opera reginae interposita subditus suus id, quod suum est, sine mora recuperare possit.*
(Latine)
(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 24-26.

N. 2041.

E Regio Monte, 4.I.1542.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Radziwiłł, capitaneo Samogitiae,
pro Anna, Ioannis Feyerabent relicta vidua, quae ratione bonorum suorum
Kybarthisken [Kibartyszki], in flumine Niemen (Mymella) sitorum,
Vilnam in ius citata est, intercedit et rogat, ut ei in causa ista con-
silio et auxilio suo adesse velit, quo sine ulterioribus expensis in-
dilatam iustitiam consequi possit.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 26-27.

N. 2042.

E Regio Monte, 4.I.1542.

*Albertus dux in Prussia
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,
litteras, quas in negotio finium inter Magnum Ducatum Lithuaniae et
Ducatum Prussiae regundorum ad regem dedit, per oratorem suum
Andream Rippen mittit et eas regi tradi petit; negotium regundo-
rum finium commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 28-29.

N. 2043.

E Regio Monte, 4.I.1542.

*Albertus dux in Prussia
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,
pro Ioanne Cromer, subdito suo, negotium quoddam coram Bona Polo-
niae regina habente, intercedit et orat, ut ei in hoc negotio feliciter
expediendo adesse velit.*

(Sub textu: Mutatis mutandis ad Andream Comitem de Gorckau).

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 29-30.

N. 2044.

E Regio Monte, 10.I.1542.

*Albertus dux in Prussia
proconsuli et consulibus civitatis Vilnensis
Casparem Gulbenowicz (Gulbenowitz), servitorem suum, causam iudicia-
riam in civitate eorum habentem, commendat et rogat, ut opera
eorum interposita iustitiam indilatam obtinere queat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, f. 139.

N. 2045.

E Regio Monte, 18.I.1542

Albertus dux in Prussia
episcopo Vladislaviensi [Lucae a Gôrka]
Achatio Czema, castellano Gedanensi, et Christophoro a Kreitzen (Creytzen), cubiculario et consiliario suo, seria ac gravia quaedam negotia se imposuisse eis que iniunxisset nuntiat et rogat, ut eis eadem negotia nomine suo referentibus plenam fidem adhibeat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 31-32.

N. 2046.

E Regio Monte, 18.I.1542.

Albertus dux in Prussia
episcopo Vladislaviensi [Lucae a Gôrka]
Christophorum a Kreitzen (Creytzen), cubicularium et consiliarium suum, « in arduis ac gravibus quibusdam negotiis » ad eum se ablegasse nuntiat eique iniunxisset, ut eadem negotia ipsi secreto proponeret; rogat, ut ei nomine suo loquenti plenam et indubitam fidem adhibeat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 32-34.

N. 2047.

E Regio Monte, 18.I.1542.

Albertus dux in Prussia
Andreae a Gôrka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo, de morte Hieronymi Łaski, palatini Siradiensis, et de magno naufragio, quod imperator [Carolus V] nuper passus est, ex litteris patris eius, Lucae a Gôrka, episcopi Vladislaviensis, se cognovisse nuntiat et addit hanc rem animum suum vehementer perturbasse.

(Latine)

(Adest conc. Latinum cum dato in textu: 17.I.1542, et in folio separato: 18.I.1542, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 34-35.

N. 2048.

Laukischken, 23.I.1542.

Albertus dux in Prussia
Gabrieli Tarlo (Terlau), vexillifero Sandomiriensi,
pro missis novitatibus gratias agit; accuratius edoceri cupit de armis et stipendiis equitibus regis numerari solitis necnon de eis, quae legati imperatoris Turcarum [Solimani II] secum tulerint.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 1-1a.

Albertus dux in Prussia

Andreae a Górká, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo, ab eo id rogatus, duos bisontes dono mittit.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, f. 36.

Albertus dux in Prussia

Paulo Wolski, R.P. cancellario,

de negotio finium inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae regundorum; de malleo deponendo (de moneta a duce non cuedenda).

(Schedula litteris ad Ioannem Tarnowski adnexa: scire cupit, quantum argenti et quo pretio ex fodinis eius sibi annuatim mittere possit).

(Adest conc. Latinum et 3 conc. Germanica non completa, HBA, B, K. 1163).

Cfr. El. XXXVI, NN. 718, 720, 721, 724, 725, 726.

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 36-47.

Ad Paulum de Volia

Mutatis mutandis ad Stanislaum Odrowasch, ad Supremum Marchalcum Regni Poloniae¹⁾, ad Episcopum Premisliensem²⁾. Item ad Comitem de Tharnau³⁾, in causa granitierum Lithuanicarum. III Februarii.

Non dubitamus, quin Magnificentia Vestra iam dudum intellexerit, quales contenciones et errores longo iam tempore cum Magno Ducatu Lythuaniae causa finium seu granicierum, quae Magnum Ducatum Lithuaniae a Ducatu Prussiae, utpote Coronae Poloniae feudo, segregant, habuerimus et adhuc habeamus. Quapropter nos ratione iuramenti ac debiti nostri et ne quid regali feudo detraheretur, aut istud nobis adhuc viventibus diminueretur, saepius apud Serenissimum Potentissimumque Principem ac Dominum, Dominum Sigismundum Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae ac Samogithie etc., Dominum et heredem, Dominum nostrum clementissimum et avunculum pientissimum, Dominosque consiliarios ac ordines Laudatissimi Magni Ducatus Lithuaniae summa diligentia sollicitavimus, quo huiusmodi contenciosi limites semel tandem inspicerentur, terminarentur renovarenturque ac unicuique, quod suum esset, tribui posset. Qui post sedulam ac diligentem instigationem tantum impetravimus, ut per Sacram ipsius Maiestatem Regiam dies inspiciendorum finium constituta atque ad componendum hoc negotium commissarii ab utraque parte ordinati et ad locum finium missi fuerint.

Et quamvis sperassemus easdem controversias limitum iuxta tenorem iuratorum contractuum regiasque promissiones ac datas utrimque commissiones componi atque discerni debuisse, tamen id fieri neutiquam potuit, sed nobis insuper a regis commissariis adhuc alia quaedam intollerabilia gravamina eo ipso constituto granicierum die illata sunt, atque ita tandem totam istam conventionem sine fructu finiri permiserunt. Qua de causa coacti sumus legatos nostros ad praefatam Sacram Maiestatem Regiam ablegare, talia coram illa conqueri ac regium illius auxilium implorare, sicuti Magnificentia Vestra adiecta copia, litera A signata, clare percipiet. Quale vero responsum Sacra ipsius Maiestas Regia dederit, quod tamen oratores nostri nonnisi cum debita quadam protestatione nihil per hoc vel concedentes vel consentientes acceperunt, id Magnificentia Vestra ex copia, litera B notata, intelliget. Cum itaque huiusmodi regium responsum praeter omnem spem ac praecipue praeter Maiestatis Regiae consensum, quod videlicet bona Coczitze in sequestro usque ad exitum causae permanere deberent, emanarit, compulsi sumus denuo ad Sacram ipsius Maiestatem Regiam scribere, sicuti Magnificentia Vestra ex copia C signata percipere dignabitur.

Et quamvis firmam spem habeamus Maiestatem Suam Regiam, consideratis his quaerimoniis nostris, debito modo in medium consulturam ac se his in rebus omnibus ad conservandum Maiestatis Suae Regiae amplissimaeque Coronae Poloniae feudum tanquam clementem Regem exhibituram, veremur tamen, ne non consiliarii ac ordines Magni Ducatus Lithuaniae in proposito hoc suo permansuri sint. Unde postea amplissimae Coronae in feudo suo, nobis vero in contractibus nostroque optimo iure maximum damnum atque incommodum inferri posset. Ex quo etiam procul dubio multivaria gravamina et molestiae, quae hisce nostris temporibus^{a)} tanto forent periculosiores, suborturae essent. Ad praeveniendum vero his malis praetermittere neutiquam potuimus, quin haec omnia Magnificentiae Vestrae amice ac fraterne indicaremus ac talia tanquam in sinum fidelissimi amici effunderemus, summis praecibus obsecrantes, Magnificentia Vestra, tanquam non minimum laudatissimae Coronae Poloniae membrum, per se apud Maiestatem ipsius Regiam, deinde in communi consilio id in medium consulere tantumque efficere velit, quo nobis in contractibus, feudo ac terris nostris, non modo nullum inferatur damnum, verum etiam in iis, quae nobiscum ad Coronam portavimus, quaeque non nos solum, verum etiam sex praecedentes Domini terrarum Prussiae possederunt, defendi, tueri ac conservari queamus. Et quamvis supradictae res omnes graves ac periculosae videantur, speramus tamen per Maiestatis Regiae summam prudentiam, virtutem ac iustitiam, nihil aliud, quam quod contractibus consentaneum sit, inceptari aut permitti, si vero ultra haec Magni Ducatus Lithuaniae Status ac Consiliarii ullam vim exercere vellent, rogamus Magnificentiam Vestram, ut illa nobis, quibusnamque modis regium hoc feudum ac terrarum harum fines tueri atque conservari queant, suum quoque fidele consilium impartiri non dedignentur.

Praeterea Magnificentiam Vestram latere haud arbitramur Sacram Regiam Maiestatem saepius apud nos instituisse, ut malleum ponere et a cudenda moneta abstinere vellemus. Quapropter nos habita consideratione privilegii nostri, quod ad terras has Prussiae pertinet, Maiestatem ipsius Regiam praecati sumus, ut propositum hoc suum regium mutare et ab eo desistere, nec adversus nos quicquam in praeiudicium

perpetuorum contractuum attentare vellet, in quo hactenus Maiestas ipsius Regia sic acquievit. Iam vero dubia ac quasi incerta quadam fama ad nos perfertur, Maiestatem ipsius Regiam denuo eius animi esse, quod nobis monetae cussionem prohibere velit. Magnificentia autem Vestra (ut quae nuper Cracoviae nobiscum constitutum illum contractum simul et approbavit et sigillavit) procul dubio in recenti adhuc habet memoria, nobis in huiusmodi contractu hunc quoque articulum regaliorum, quae praedecessores nostri terraeque hae Prussiae semper antea habuere, confirmatum et concessum esse, solummodo ut cum Maiestate ipsius Regia de grano et pondere prius conveniremus. Talis vero conventio seu unio cum Maiestatis Suae Regiae legatis necnon Dominis consiliariis et ordinibus regiae partis Prussiae in Marienburgo facta est, in quam unionem nos, non sine maximo nostro miserorumque subditorum nostrorum damno atque incommodo tunc quidem temporis, cum antiqua moneta in totum abroganda erat, consensimus.

Si itaque praeter haec omnia malleum ponere et a cudenda moneta abstinere deberemus, fieret profecto istud in praeiudicium tam veteris privilegii, quam novi nuperrime constituti contractus, quem Magnificentia Vestra una, ut supra dictum est, et approbavit et sigillavit. Essetque hoc principium quodammodo, per quod plures alii articuli, in eo ipso contractu contenti, labefactari tentarentur, per quod et nobis et terris his Prussiae haud exigua incommoditas, damnum et exitio, tum et dissipatio non modica, quae hisce nostris temporibus non posset non esse periculosa, suboritura esset. Quam grave intollerabile ac molestum hoc nobis nostrisque miseris subditis foret, id Magnificentia Vestra, tamquam rem suam propriam, amice ac fraterne secum animo perpendere ac diiudicare velit. Amice fraterneque orantes, Magnificentia Vestra dignetur apud Sacram ipsius Maiestatem Regiam laudatissimosque ordines amplissimae Coronae Poloniae tantum et promovere et efficere, quo hi et alii articuli contractus^{b)}, quem Sacra ipsius Maiestas Regia cum laudatissimis Regni proceribus Magnificentiaque Vestra sigillavit, non modo in minimo non^{c)} laedantur, verum etiam nos iuxta privilegia nostra, sicuti et nobis promissum est et nos ita facturum spem maximam habemus, firmiter conservari queamus. Atque eo magis id necessarium iudicamus, cum periculosa haec tempora nostra, non dissensiones, inimicicias aut dissipationes aliquas, verum multo magis pacificos concordisque animos ac firmam stabilemque concordiam exposcere videantur.

Cumque^{c)} et immanis christianae religionis primarius hostis, Thurca, praeterito autumno tantam erga christianos victoriam obtinuerit, ut Budam ac Regna Ungariae fere universa suo imperio subiugaverit, unde minori deinceps negotio, labore et periculo, si Dei Optimi Maximi benignitate non fuerit advocatus et impeditus, suam tyrannidem in caeteras christianorum provincias exercere et extendere poterit. Et, ut accepimus, paucis diebus a Buda Cracoviam cum exercitu devenire queat, quod Deus avertat, haud exigua sollicitudine angimur metuentes, ne hostilibus quibusdam insidiis pro suarum rerum commoditate, illis in locis Coronae molestus esse incipiat et negocium facescere tentet vel, si id etiam pro temporis ratione suspenderet aliquantisper, nihilominus tamen, aut Wallachicum Waywodam^{d)} aut certe Thartarum, quos ambo vasallos rusticos suos appellitare solet, ipsius mandatis obnoxissime parentes, interim instiget et inclitae Coronae ac universo tandem Orbi Christiano in perniciem subornet et armet.

Vicissim tamen et consolationem capimus ex eo, quod sciamus Regiam Maiestatem una cum Dominis Consiliariis prudentissimis caeterisque laudatae Coronae ordinibus ea in parte satis circumspectos, qui summo ad hoc studio vigilabunt, ne vel quicquam negligatur, vel hosti illa irrumpendi opportunitas libera permittatur. Ad quod efficacius praestandum nihil nostro arbitratu aequè conduceret, quam propensa in veram amicitiam corda et coniunctarum copiarum unanimis consensus, nec id tam Sacrae ordinibus Coronae, quam universo Christiano Orbi necessarium existimamus et optamus. Nam quantum superior aetas his minus opus habuit, tanto maior nostro aevo necessitas incumbit, quo caveatur, ne distractis animis invisa discordia oboriatur vel excitetur, singulatumque novissime unus post alterum tyrannica violentia opprimatur. Quare petimus Illustrissimam Magnificentiam Vestram fraterne et amice, suum animum, consilium et propositum in his negociis omnibus nobis aperire dignetur quam amicissime et fraterne, quo et cor nostrum tranquillum reddatur. Nosque in his, quae feudali iure ac privilegiorum autoritate ad nos spectant, defendamur ac manuteneamur. Id nos erga Illustrissimam Magnificentiam Vestram vicissim amice ac fraterne promereri studebimus. Haec omnia Magnificentiae Vestrae, tamquam amico et fratri nostro charissimo, summa quadam fiducia significare volumus. Nec dubitabimus, quin Magnificentia Vestra se hisce in rebus omnibus, quae tam ad laudatissimam amplissimamque Poloniae Coronam, quam nos ipsos spectant, benignam ac facilem exhibitura sit. Nos dabimus operam, ut Magnificentiae Vestrae pro mediocritate nostra vicissim amanter ac fraterne gratificari queamus. Quam diu foeliciter vivere atque valere ex animo cupimus. Datae e Regio Monte, ut supra.

Cedula in des herrn von Tharnau brieff.

Illustrem quoque Magnificentiam Vestram celare nolumus nos certo comperisse, quomodo Illustris Magnificentiae Vestrae argenti fodinae iam illi argentum liberaliter praebeant. Qua sane ex re magnum cepimus gaudium, adeoque hanc fortunam Illustri Magnificentiae Vestrae ex animo favemus, Deum Optimum Maximum adsiduis praecibus obsecrantes, ut cum continuo augmento istud non solum ad divini nominis sui gloriam, verum etiam Illustris Magnificentiae Vestrae eiusdem universae clarissimae familiae commodum ac utilitatem vergere clementer permittat. Proinde cum non dubitemus, quin Illustris Magnificentia Vestra pro more aliarum argenti fodinarum, tanquam supremus istarum Dominus, prior sit ad emptionem omnium istorum argendorum, quae Deus clementissimus pro sua largitate gracie concessit atque talia alterius communi negociatori prompta pro pecunia vendat atque tribuat, Illustrem Magnificentiam Vestram amice ac fraterne rogamus, eadem dignetur pro singulari bonitate sua eaque, qua nos prosequitur, benevolentia nobis huiusmodi argenti emptionem prae aliis amice ac fraterne^{c)} concedere, nosque per praesentium exhibitorem ac servitorem nostrum certiores reddere, quantum argenti nobis eadem annuatim possit transmittere, quove in loco (quod sane ad minus in Gedano vel Thorunia cuperemus fieri) et quanto pro praecio, quo etiam in pondere nobis id presentari queat, quo solutio omnis minori cum periculo et tanto commodius Illustri Magnificentiae Vestrae pro eo fieret, et sane firmam spem habemus Illustrem Magnificentiam Vestram sese hac

in causa haud difficilem erga nos exhibituram. Nos dabimus operam, ut eidem vicissim amanter ac fraterne inservire queamus. Datae, ut supra in literis.

Commissio Principis propria.
Hieronymus.

- a) *sequitur fo expunctum.*
b) *verbum contractus repetitum et expunctum.*
c) *additum in margine.*
d) *hic in margine: Dieser punct gehort allein in des Graffen von Tharnau brieff*

- e) *sequuntur verba expuncta: rogamus, eadem dignetur pro singulari*
1) *Petrus Kmita.*
2) *Stanislaus Tarlo.*
3) *Ioannes Tarnowski.*
4) *Petrus Rareš, palatinus Moldaviae.*

N. 2051.

E Regio Monte, 3.II.1542.

*Albertus dux in Prussia
Isabellae reginae Hungariae
in infelicitate et aerumnis eius eam consolatur.*

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 48-52.

Ad Reginam Hungariae Isabellam. III Februarii.
Serenissima Regina, Domina Clementissima etc.

Quod hactenus, Serenissima Regina ac consobrina charissima, aliquantisper a proximo nuntio nostro ad Reginalem Serenitatem Vestram ablegato, nihil literarum Reginali Serenitati Vestrae miserimus, studiosissime atque amicissime petimus, ne Reginalis Vestra Serenitas existimet id factum a nobis vel negligentia aliqua vel oblivione amicitiae atque necessitudinis nostrae, sed quia tum locus, ubi Reginalis Vestra Serenitas nunc esset, nobis hucusque ignotus fuit, tum nuntius, qui eo ad Reginalem Serenitatem Vestram proficisci, rem ita, quemadmodum nobis gratum esset, expedire posset, nobis deesset, nihil literarum mittere commode Reginali Serenitati Vestrae potuimus.

Quod cum Reginali Serenitati Vestrae satis manifestum mnimeque obscurum fore puto, speramus Reginalem Serenitatem Vestram hanc nostram aliquando longiusculam^{a)} taciturnitatem et moram nequaquam aegre laturam. Nunc vero oportunitatem nacti tabellionem, cui literae tuto committi poterant, praetermittere nulla ratione voluimus, quin Reginalem Serenitatem Vestram amice ac officiose inviseremus officioque nostro satisfaceremus. Itaque si Reginalis Serenitas Vestra una cum filio^{b)} suo amatissimo caeterisque adiunctis consiliariis suis rectissime valeret, omnia prospere ex animique sententia succederent, si in fiducia et timore Dei sibi, filio charissimo subditisque praeesset, foret quod plurimum atque ex animo gauderemus.

Nam hoc religio nostra postulat, hoc sanguinis propinquitas et amor mutuus efflagitat, interim tamen non possumus non vehementer ac ex intimo cordis affectu dolere, quod Reginalis Serenitas Vestra in tot aerumnas, tot calamitates inciderit, in tanto discrimine capitis simul cum charissimis suis versari coacta sit, tantas opes, tam opulentum Regnum fere in totum amiserit, sed me^{b)} vicissim consolatur, quia ope et auxilio Dei Optimi Maximi, cuius nutu et voluntate reguntur omnia,

Reginalis Serenitas Vestra tam clementer e manibus tam impiorum quam reliquorum hostium erepta ac liberata sit. Is enim, tanquam Deus omnipotens et pater multum misericors, non ignorans, quid nobis, liberis suis, conveniat, quid tam in hoc quam futuro saeculo commodet, qui nos non propter hanc caducam, sed aeternam atque perpetuam illam vitam creaverit ac sua acerbissima passione praeciosissimo sanguine tandem ab aeterna morte et damnatione redemerit, nihil nobis evenire sinit, quemadmodum hoc ipsum satis abunde sacrae testantur literae, nisi id fiat nobis in bonum. Neque etiam in hac vita quisquam iudicatur foelix, saltem is, qui vere Deum agnoscit et timet, qui laudando Creatorem nostrum sua sorte contentus est. Quam ob rem Reginalem Serenitatem Vestram obtestamur, ne hos tantos casus, tantam fortunae iniquitatem gravius ferat, quam prudentem ac christianam Principem et Reginam decet, ne id aliunde, quam a Deo, Servatore nostro, evenire existimet. Etenim vivit Dominus, qui olim non solum hoc, quod accepit, sed quoque plura et longe maiora tam dare quam reddere potest. Nam Domini est terra et plenitudo eius, qui huiusmodi clementi ac gratiosa atque etiam aliquando insperata^{c)} et extra captum humanum ratione suos invisere officiorumque nostrorum nos commonefacere solet. Idcirco ei gratias agere perpetuo in singulis dictis ac factis et volumus et debemus, praecibusque contendendo, quo nos infinita sua misericordia clementer respiciat omneque malum a nobis avertat. Id si fecerimus, non est dubium, quin omnia ex animi sententia impetraturi simus. Quod ut fiat, etiam atque etiam divinam Maiestatem suam^{d)} precamur.

Caeterum quoniam in loco et castro Reginalis Serenitatis Vestrae, ubi nunc regiam habet, aliquando fuimus, situm et munitiones facile perspicentes, non arbitramur Reginalem Serenitatem Vestram in satis tuto loco, si potentiam malevolentium consideramus, esse. Amice itaque atque officiose rogamus Reginalem Maiestatem Vestram, ne sibi suisque desit incommodetque, tum Regiae Serenitati Vestrae, tum Domino filio subditisque omnibus in tempore consulat et prospiciat, seque, quod facillime meo iudicio fieri potest, in alium quempiam locum munitiorem ac tutiorem cum Domino filio suisque conferat. In eo procul dubio factura est Reginalis Maiestas Serenissimis ac Potentissimis parentibus suis, universae familiae, tum et nobis, rem longe omnium gratissimam. Neque dubium est, quin Serenissimi parentes Reginalis Serenitatis Vestrae in eo requisiti consilio auxilioque salubri, si quid opus foret, adesse ac prodesse possent. Et nobis si quid pro tenuitate nostra praestare integrum esset, Reginali Serenitati Vestrae pro virili non deessemus. Atque his nos in gratiam Reginalis Serenitatis Vestrae quam possumus diligentissime officiosissimeque, qua debemus, reverentia commendamus. Deum precamur, ut et Reginalem Serenitatem Vestram et Illustrissimum Principem filium quam diutissime in bona valetudine conservet, imperium suum in pristinum statum recuperet quieteque possideat Nestoreos ad annos. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria.
Brandt.

a) in ms.: longiuosculam
b) verbum correctum.
c) correctum ex: insperata

d) additum in margine.
1) Ioannes Sigismundus.

Albertus dux in Prussia

Andrae a Górká, castellano Posnaniensi.

rogat, ut operam suam apud reginam Bonam interponat, quo controversia de villa Koczycze (Coadiuten) sibi cum ea intercedens vigore initorum utrimque foederum et firmatorum contractuum tandem componatur.

(Schedula: novitates mittit).

(Adest conc. Latinum et conc. Germanicum cum dato: 3.II.1542 et sine schedula, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 52-64.

Ad Andream Comitem de Gorkav. IIII Februarii.

Magnifice ac Generose etc.

Posteaquam Magnificentia Vestra paucos ante dies quaedam mandata sibi a Serenissimis Potentissimisque Principibus, Domino Sigismundo Rege Poloniae, Magno Duce Lithuaniae, Russiae totiusque Prussiae ac Mazoviae etc. Domino et haerede, Domino nostro clementissimo avunculoque pientissimo, necnon Domina Bona, Regina Poloniae etc., Domina nostra clementissima, imposita Maiestatum Suarum nomine coram nobis retulit, ad quae tempus deliberandi tunc quidem temporis petivimus, promittentes nos ad ea omnia Magnificentiae Vestrae responsuros esse, quod quidem tempus deliberandi nobis Magnificentia Vestra pro negotiorum ipsorum magnitudine benigne concessit, eam itaque ob causam Magnificentiae Vestrae et quod eadem hanc moram nobis permiserit, summas agimus gratias. Et quamvis nobis in animo erat Sacrae Maiestati Regiae propter alterum quidem articulum nos ipsis respondere, tamen commodius duximus, ut in ambobus casibus id per Magnificentiam Vestram tamquam legatum fieret Maiestatique Suae Regiae responsum daretur. Quam ob rem Magnificentiam Vestram amice ac fraterne rogamus, ut eadem talia responsa, tamquam per se et quod Magnificentia Vestra haec eadem in hunc modum a nobis acceperit, omnibus Maiestatibus Regiis indicare et adscribere haud gravatim velit.

Propter senioris ac iunioris Regiarum, necnon Reginalis Maiestatum annuntiatam clementem et amicam salutationem precationemque, iam antea Magnificentiae Vestrae gratias egimus eandemque fraterne precati sumus, ut vicissim Maiestatibus Suis nostro nomine plurimam salutem ac subditam humillimorum deditissimorumque obsequiorum nostrorum oblationem annuntiare^{a)} non dedignetur, idque adhuc diligenter ac sedulo ut praestet, etiam atque etiam fraterne rogamus.

Ad petitionem vero Sacrae Maiestatis Regiae, Domini nostri clementissimi, hoc damus responsi: Primum omnium Maiestati Suae Regiae pro regio ac clementi suo consilio in re Thurcica nobis communicato, tum et indicatis illis, quomodo Maiestas illius Regia et laudatissima Poloniae Corona ex urgentibus necessitatibus cum Thurca¹⁾ unionem contrahere seu potius inducias facere compulsa sit, subditas ac summas agimus gratias. Quibus vero rationibus nos Electoribus ac Principibus Romani Imperii subvenire in animo habeamus, non dubitamus, quin Maiestas illius Regia id ex proximioribus nostris literis satis abunde

cognoverit. Primum cogit nos christiana cohors, cui certe nos, sicuti et quilibet facere debet in adversitatibus suis, quantum unquam fieri potest et facultas nostra permittit, et consilium et auxilium ferre ex debito quodam tenemus. Deinde sanguinis necessitudinisque coniunctio, quae in huiusmodi necessitatibus merito considerari multumque valere debet. Postremo quod ex mandato Sacrae Maiestatis Regiae apud supradictos Principes Electores caeterosque Dominos et amicos nostros elapsis annis tunc quidem temporis, cum Thurca in Vallachiam impetum fecisset, auxilium contra hunc hostem quesiverimus, quibus sane vicissim simili in casu nostrum auxilium subsidiumque nunquam defuturum polliciti sumus.

Iam itaque nihil aliud nobis faciendum erit, quam ut re ipsa id nunc praestemus, quod verbis antea sumus polliciti, nisi velimus apud illos omnes in suspicionem quandam cadere, quod Maiestas ipsius Regia procul dubio adeo nobis non esset optatura. Proinde his de causis plane deliberatum est nobis Dilectionibus Suis nostrum adiungere auxilium. Et quamvis Maiestatis Suae Regiae deliberatio seu iudicium de pecunia non parum momenti habeat, habita consideratione, quod qui pecuniarum fert opem, non parum praestiterit, animadvertimus tamen, quod Dilectiones Suae non pecuniariam, sed popularem magis a nobis opem requirant. Cum ergo^{b)} auxilium ferre debeamus, sicuti istud ipsum nullo pacto subterfugere possumus, necesse est plane, ut istud sic fiat, quo tempore ingruentis necessitatis (quam Deus Optimus Maximus pro immensa sua misericordia diu clementer avertere velit) vel si quando laudatissimae Coronae Poloniae aut nobis grave aliquod immineret periculum, Dilectiones Suae nobis vicissim auxilium suum praestare possint. Posteaquam vero Maiestas ipsius Regia, tamquam curiosus ac pacificus Rex, illam pactionem, quam hoc cum hoste iniit, libenter firmam conservare velit, de quo sane Maiestas ipsius Regia merito est laudanda, exhibitori sumus nos, divino accedente auxilio, pro ratione iuramenti ac debiti nostri, quo christiano coetui, Sacrae Maiestati Regiae ac amplissimae Coronae Poloniae caeterisque sanguine necessitudineque iunctis amicis adstricti sumus, in ferendo ac praestando hoc auxilio eos, ut per hoc Sacrae Maiestati Regiae laudatissimaeque Poloniae Coronae vel nobis nullum inde damnum aut incommodum accrescere debeat, firmam spem concipientes Maiestatem ipsius Regiam nos in eo clementer ac regie promoturam esse. Quicquid enim ad incrementum et commodum Maiestatis Suae Regiae laudatissimaeque Poloniae Coronae praestare poterimus, id facturi sumus nullo non tempore summo studio atque diligentia singulari. In hanc ferme sententiam petimus, Magnificentia Vestra animum ac sententiam nostram Maiestati ipsius Regiae per literas suas indicare atque aperire eidemque nostro nomine respondere velit.

Super Serenissimae Reginae, Dominae nostrae clementissimae, impetitione, hoc responsi damus. Nos credere quidem Sacram Regiam Maiestatem sic informatam fuisse, Capitaneum scilicet Samogithiae²⁾ foelicis memoriae, filiumque ipsius³⁾ pariter vita defunctum, bona illa Coczicze in quieta ac pacifica possessione tenuisse, at nos constanter asserimus praedictum Capitaneum ac filium eius nunquam ea bona tranquille et pacifice possedissee, sed praedecessorum nostrorum tempore Commendator Rangnetum²⁾ illa pacifice et quiete possedit et usucapiebat, donec praedictus Capitaneus Commendatorem sua e possessione turbare incepit et nullo iure eam terrae partem, contra perpetuae pacis foedera, sibi usurpando irrequiete ad tempus vedicavit. Succedente tandem tem-

pore, ante viginti quinque fere annos, nos propria illuc persona concessimus ac eam terrae partem nostrumque ius aequi et boni recuperavimus ac aliquod tandem subsequenter annis, usque ad novissimi belli intemperiem, tranquille possedimus. Belli autem incendio flagrante, dum omnia confundebantur, se iterum tandem intrudebat Capitaneus praefatus, nulla tamen tranquillitate possedit, nam continuis a nobis tum literis tum internuntiis semper fuit lacessitus. Quum vero e vivis sublato Capitanei Samogithiae omnia et singula bona Magno Lithuaniae Ducatui cederent, quid nos ad ea recuperanda egerimus, non tantum Sacrae Regiae Maiestati, sed et omnibus tam laudatae Coronae, quam Magni Ducatus ordinum proceribus notum esse arbitramur, quo novissime tandem inter Regiam Maiestatem et nos conventum est, ut ea terrae pars sequestrationi submitteretur, in qua usque ad convenientem limitum disterminationem insolubiliter persistere deberet.

Super quo et hoc quoque ventilabatur, quorsumnam fructus et bonorum redditus interim aptius reponerentur. Eligente autem Sacra Regia Maiestate Caoviam²⁾, nobis Warmia convenientior videbatur, convenire de certo repositionis loco non potuimus, sed ut tantum ea terrae pars sequestrationi (ut dictum est) subiiceretur. Non dubitamus igitur, quin Reginalis Maiestas, Vestra Magnificentia ac universi facili opera ex his cognoscent, an huiusmodi bonorum possessio tranquilla dici mereatur, quam Capitaneus violentia et nullo iure et contra perpetuae foedera pacis sibi usurpare presumpsit. Quod tamen nequaquam mortuo notam inurendo^{d)}, sed causae et veritatis in patrocinium commemorasse volui. Quod autem Sacra Reginalis Maiestas simul annectit, ut si iuramento affirmare auderemus, nos tempore defuncti Capitanei Samogithiae ac filii eius illa bona in pacifica ac quieta possessione tenuisse, assensuram se, quo ea adhuc retineamus etc, non videmus huiusmodi iuramenti interpositionem pro dignitate Suae Reginalis Maiestatis, nec nostro, nativi tanquam Sacri Romani Imperii Principis, honore fieri et admitti posse aut debere. Nam plane supervacaneum, ne dicamus iniustum et minime aequum videtur, iuramentis ea velle confirmare, quae patentibus alioqui literis et sigillis perpetuaeque pacis pactionibus copiosius queant roborari. Instrumenta siquidem perpetuae pacis veros inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae limites clarissime exprimunt, quorum auctoritate et tenore sua cuique pacifica possessio merito addicanda erit, si vero tandem et aequitatis ratio aliqua in subsidium veritatis et supplementum iudiciorum iuramentum quoque requireret, quod cum Sacrae Reginalis Maiestatis et nostro decore deponi posset, non gravemur et hoc taedium veritatis amore devorare, ne iudicii et aequitatis ordinata media detractari quoquo modo videremur. Non dubitantes Reginalem Suam Maiestatem apud se expensuram, quod si a quopiam altero, quocumque tandem, putativam eam ad detentionem, quam Capitaneus, contra perpetuae pacis iura, vi sibi usurpare attentavit, par iuramento vicissitudo requiretur, quo Reginalis Suae Maiestatis decore observato, vel postulari saltem, quanto minus praestari posset. Haec vero ad laudem, commodum et privatam gloriam tam Regiae Suae Maiestatis, quam ordinum universorum cessurum minime ambigimus, si cuique ea, quae iuris et aequitatis ratio exigit, tenore literarum ad dicta fuerint et id iugiter perpetuaeque modis omnibus quesivimus, nec adhuc aliud instantissime aequae efflagitamus. Quin et Vestram Magnificentiam amice petimus, ut ea huius controversiae sedatorem praestare velit, apud Reginalem Suam Maiestatem intercedendo et instando, quo

hic locus in controversia positus concordiarum tenore dimensuretur ac nostra nobis pars assignetur, qua deinceps optime contenti Reginali Suae Maiestati graves non erimus.

Reginalis Sua Maiestas gravatam postremum se ostendit, quasi nos, non ut bonum vicinum deceat, erga Suam Maiestatem exhibeamus etc. De quo haud satis mirari possumus, quam ex causa quibusve occasionibus ita apud Reginalem Suam Maiestatem inculpati fuerimus, quum erga singulas Regias eorum Maiestates nos hactenus semper pro fide nostra ita accommodaverimus, ne quicquam vel praetermitteremus vel admitteremus, quod feudatarium erga patronum suum non deceret. Quin tam feudi Dominum ac patronum, quam eius haeredes, una cum coniuge ac universa domo, debitis officiorum obsequiis, honore et veneratione semper prosequuti sumus, quemadmodum nec deinceps, quantum nostrae submissionis ratio exigit, secus unquam facere proponimus. Huius animi siquidem hactenus fuimus, ut faciliores nos potius praestaremus ad sufferendum nonnihil (salva tamen semper feudi fidelitate, quam labefactari nostro tempore difficile feremus), quam ut bonae vicinitatis iura inter Magnum Ducatum et nos quoquo modo turbarentur. Speramus insuper ac Regiae Maiestati confidimus, quod ipsa nativa sua virtute et clementia ultra haec nos non urgebit. Cumque nihil vel feudalis contra fidei rationem vel debitam contra obedientiam, venerationem et nostri deditionem admiserimus, nec quisquam nos in his deliquisse (favente Deo) cum veritate culpae poterit, speramus Reginalem Maiestatem Suam nos apud se excusatos habituram et detracta iis fide, qui secus eam instruxerint, innocentiam nostram agnoscituram. Haec sunt, Frater et Amice dilecte, nostra responsa, quae Vestrae Magnificentiae ideo perscribere voluimus, quia ea a nobis petere videbatur, recipiens se neutiquam ad aulam missuram, sed quo pro se ipsa apud se nostra scripta haberet et conservaret.

Hinc amice et fraterne petentes^{a)}, Vestra Magnificentia harum intentionem ad utrasque Regias Maiestates deferre dignetur ac nostram in scribendo tarditatem boni consulere. Haec indefessis nostris officiis fraterne compensare studebimus... Datae e Regio Monte. Mense ut supra.

Commissio Principis propria.

Hieronymus.

Cedula

Rogavit nos nuper Magnificentia Vestra, cum illa a nobis discederet, ut ei res interdum novas transcribere vellemus, quod se vicissim quoque facturam, si quid novarum rerum habitura esset, recipiebat. Nos, qui iam a fide digno has inclusas novitates accepimus, non potuimus omittere, quin eas Magnificentiae Vestrae una cum his transmitteremus. Amice ac fraterne rogantes, Magnificentia Vestra, si quid interdum novi habuerit, id quoque nobis communicare haud gravatim velit. Nos dabimus operam, ut Magnificentiae Vestrae vicissim amanter ac fraterne gratificari queamus. Datae ut supra in literis.

a) *correctum ex*: annuntiatio

b) *verbum correctum*.

c) *suprascriptum loco expuncti*: vero

d) in ms. murendo

e) *bis scriptum et expunctum*.

z) *sic in ms.*

1) *Solimanus II.*

2) *Stanislaus Janowicz Kieżgajło.*

3) *Stanislaus Stanisławowicz Kieżgajło.*

N. 2053.

E Regio Monte, 6.II.1542.

*Albertus dux in Prussia
Caspari Lobener, civi Caunensi,
pro subdito suo Iacobo Grolock, Veteris Civitatis Regiomontanae cive,
intercedit et rogat, ut ei in conducenda in Samogitia silva quadam
adiumento sit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 140-141.

N. 2054.

E Regio Monte, 9.II.1542.

*Albertus dux in Prussia
Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,
ob meliorem eius valetudinem et ob verbum Dei in Polonia Polonico
sermone praedicatum gaudet; auctum argenti pretium Deo commen-
dandum esse censet; de Comitiorum Petricoviensium processu et de
loco ac termino nuptiarum regis Poloniae iunioris certior fieri cupit.
Cfr. El. XLIX, N. 420.*

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 1v-2v.

An Jobst Ludwigenn, den 9 February. Erstlichen schreybt mgster h. seyner schwacheyt halben. Item das das wort Gotts reyn und lauter gepredigt wirt. Item was die heller anlangt. Item das das sylber ethwas thewer sey.

Unsern grus und gnedigen willen zuvorn.
Edler, lieber, getrewer.

Wir haben ewer schreyben, zu Crockaw den 8ten Januarii aussgangen, bekhommen und darauss zum ersten, das yr solang schwach gewesen, desgleichen die erschreglichen zeitung mit beschwerthem gemuth, herwiderumb aber das sich solche ewer^{a)} schwachheit zur besserung gewendet und zum hochsten, das das wort Gotts lauter und reyn bey euch yhn polnischer sprachen geprediget (daraus dan vorhofflich, wo es wirklichen in schwangk kheme, allerley gutts erfolgen wurde) mit hoher frolockung vormercket und thun uns solcher mitteylung genediglichen bedancken, dem Lieben Gott embsiges vleiss bittende, ehr wolle seynen milden segen darzu vorleyhen, auf das solch worth an diesem und andern orthen zu seynem lob und eren, auch unserer seelen heyl erbreithet, genediglich begerendt, ir wollet uns, was weyter disfals vorfelt, damit wir des auch wissenschaft haben mögen, zu erkennen geben.

Die heller anlangendt mogen wir euch nicht bergen, das wir derselben itzo werlich nicht haben. Nichtsweniger aber wollen wir mit unserm muntzvorwalter handeln, auf das derselben ein anzal geschlagen und euch fur ewer sylber zugeschickt werden.

Das das sylber ethwas tewer, muss dem Lieben Gott bevolen seyn, und ist demnacht, wo es nurt zu bekhommen, besser ichts weder gar nichts.

Letzlichen begeren wir abermals mit gnaden, yr wollet euch nicht

beschweren und uns auch, wan der reichstagk zu Peterkaw seynen vorgang gewinnet, desgleichen, wo euch wisslich wann und wo die junge ko.mt., unser genediger her und freuntlicher, lieber oheim, ir koniglich beylager haben werden, yhns erst möglichen vorstendigen. Das sein wir gegen ewer person, dem wir sonsten mit gnaden gewogen, in genediger, wircklicher wolthat abzunemen und zu erkennen geneigt. Datum Konigspergk, den 9 Februarii.

Commissio Principis propria.

a) *verbum correctum.*

N. 2055.

E Regio Monte, 16.II.1542.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario, pro studio et diligentia in rebus suis apud regem promovendis adhibita gratias agit; negotium regundorum finium commendat et rogat, ut clementius a rege hac in re responsum impetrare studeat. (Schedula: rogat, ut litteras suas intercessorias pro Henningio, cive Cleipodiensi, regi offerat et pro clementi responso instet).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 64-67.

N. 2056.

E Regio Monte, 16.II.1542.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Łaski, castellano Przemętensi, ob mortem fratris eius [Hieronymi] dolet eumque consolatur; copiam libelli cuiusdam, ab eodem defuncto fratre eius Constantinopoli olim conscripti, «de variis rebus, praesertim bellicis, quo pacto contra hostem christianae religionis, infensissimum Turcam, belligerandum, quis ordo et modus servandus, quomodo acies instruenda etc», confici et sibi transmitti petit.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 716.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 68-71.

N. 2057.

E Regio Monte, 16.II.1542.

Albertus dux in Prussia

Annae, viduae Hieronymi Łaski, ob mortem consortis, Hieronymi Łaski, palatini Siradiensis, eam consolatur defunctumque summis laudibus effert.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 74-77.

N. 2058.

E Regio Monte, 20.II.1542.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae*

ad litteras regis de furibus ex Ducatu suo, in silvis Magni Ducatus Lithuaniae magna damna facientibus, respondet se capitaneis suis iniunxisse, ut talem suorum audaciam coerceant; ex altera tamen parte ipse queritur de damnis et iniuriis, a subditis regis in silvis suis sibi subditisque suis illatis.

(Latine)

(Adest conc. Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 72-74.

N. 2059.

E Regio Monte, 23.II.1542.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae*

pro subdito suo Martino Hermensdorff (Hermsdorff), cive Regiomontano, cui subditus regius Matthias Lang, civis Gedanensis, navem quandam « praeter ius et aequum » arrestavit et postea ex arresto serius dimisit, ita ut eam, facto naufragio, subditus suus prorsus amiserit, intercedit et rogat, ut eidem subdito suo iustitia administretur et damnorum compensatio fiat.

(Latine)

(Adest brevius conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 78-80.

N. 2060.

E Regio Monte, 23.II.1542.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae*

pro Martino Hermensdorff (Hermsdorff), subdito suo, cui « propter bona quaedam navalia » negotium est cum subdito regio Ioanne Lickefedt, cive Gedanensi, intercedit et auxilium regium in hac subditi sui causa implorat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 80-81.

N. 2061.

E Regio Monte, 23.II.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

pro subdito suo Martino Hermensdorff (Hermsdorff) intercedit et rogat, ut sententia in causa inter eum et defuncti Lucae Ketting (Kötting), civis Gedanensis, heredes « propter aliquot sexagenaria lignorum » a se lata, et hucusque a Senatu Gedanensi executioni non mandata, mandato regio talem executionem tandem consequatur.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 81-82.

N. 2062.

E Regio Monte, 23.II.1542.

Albertus dux in Prussia

Stanislaeo Hosio, canonico Cracoviensi,

pro subdito suo Martino Hermensdorff (Hermsdorff), litterarum ostensore, negotia quaedam sua apud regem expedienda habente, intercedit et orat, ut ei in talibus negotiis bene componendis prodesse velit.

(Latine)

(Adest conc. Latinum cum dato: 24.II.1542, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 83-84.

N. 2063.

E Regio Monte, 26.II.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

pro Henningo, cive Cleipodiensi (Mymelensi), cui telonearius regius in finibus Samogitiae « praeter omnem culpam », praetextu viarum prohibitarum, boves et equos detinuit atque arrestavit, intercedit et orat, ut rex teloneario suo mandare velit, quo subdito suo pecora arrestata sine mora restituantur.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 84-88.

N. 2064.

E Regio Monte, 5.III.1542.

Albertus dux in Prussia
Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praeffecto,
nomine uxoris suae ducis Dorotheae, rogat, ut aurea folia et fascias ad
ornandum caput aptas ei mittat.
(Schedula: de annuo salario sibi a rege quotannis persolvendo).
(Germanice)
Cfr. El. XLIX, N. 422.
Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 2v-3.

N. 2065.

E Regio Monte, 6.III.1542.

Albertus dux in Prussia
consiliarius et statibus Regni Poloniae, Petricoviae in Comitibus congregatis,
Boleslaum baronem ab Eulenburg (Eilenburg), capitaneum in Bartenstein,
et Ioannem a Kreitzen (Creytzen), cancellarium suum, ad Comitibus
Regni mittit et rogat, ut eis nomine suo loquentibus plenam ac
indubiam fidem adhibeant.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 88-90.

N. 2066.

E Regio Monte, 6.III.1542.

Albertus dux in Prussia
episcopis et reliquis dominis, Petricoviae in Comitibus congregatis,
legatos suos ad Comitibus Regni nominatos, Boleslaum baronem ab Eulen-
burg (Eilenburg), capitaneum in Bartenstein, et Ioannem a Kreitzen
(Creytzen), cancellarium suum, commendat et rogat, ut eis benignas
aures praebeant, plenam fidem adhibeant et in omnibus causis ipsis
concreditibus commodius expediendis praesto sint.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 91-92.

N. 2067.

E Regio Monte, 11.III.1542.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae
regem, tanquam feudi sui dominum, protectorem ac defensorem, iterum
enixe rogat, ut curare velit, « quo violenta illa irruptio (in villam
Coadiuten) cassetur, nihil amplius novi inceptetur universaeque gra-
nities obambulentur vel ad minus dubia illa et contentiosa loca, ut
Coadiuten et reliqua..., quam primum mensurentur ».
(Latine)
(Adsunt 2 conc. Germanica, HBA, B, K. 1163).
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 92-96.

N. 2068.

E Regio Monte, 11.III.1542.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae
annuum stipendium suum (4000 florenorum) per Regni thesaurarium in
manus Iosti Ludovici Decii sibi numerari petit.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum cum dato: 9.III.1542, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 96-98.

N. 2069.

E Regio Monte, 11.III.1542.

*Albertus dux in Prussia
duci Slucensi [Georgio Olelkowicz] et (mutatis mutandis) Stanislao Gasz-
toïd
transmittit copiam litterarum, quas propter molestias, sibi « praeter om-
nem aequitatem ipsosque... contractus » accidentes, ad Magni Duca-
tus Lithuaniae ordines scripsit, et rogat, ut ad eiusmodi litteras suas
bonum ac optatum responsum ab eis impetrare studeat.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 98-100.

N. 2070.

E Regio Monte, 11.III.1542.

*Albertus dux in Prussia
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,
rogat, ut apud regem instare atque efficere velit, quo annum suum sala-
rium (4000 florenorum) ad statutum tempus a Regni thesaurario in
manus Iosti Ludovici Decii sibi numeretur.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 727.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 100-101.

N. 2071.

E Regio Monte, 11.III.1542.

*Albertus dux in Prussia
statibus et ordinibus Magni Ducatus Lithuaniae
de negotio regundorum finium; de subditorum suorum querelis ob nova
ac insolita telonea in Samogitia instituta et ob vias recens prohibitas.*

(Latine)

(Adest conc. Germanicum cum dato: 6.III. et in folio separato: 9.III.
1542, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 102-109.

N. 2072.

E Regio Monte, 13.III.1542.

Albertus dux in Prussia

capitaneo Plotelensi (ad den heuptman zu Plathell)

litteras eius intercessorias pro subdito quodam eius, a capitaneo suo Cleipodiensi, Ernesto a Rechenberg, homicidii accusato et in carcerem coniecto, se accepisse nuntiat et capitaneo suo mandasse, ut rem totam secundum ius et aequum componeret.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, f. 141.

N. 2073.

E Regio Monte, 19.III.1542.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Łaski, castellano Przemtensi,

ob mortem fratris, Hieronymi, palatini Siradiensis, eum consolatur; alterum fratrem eius, Ioannem Łaski praepositum, in Ducatu Prussiae libere et tuto commorari posse respondet.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 716.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 109-115.

N. 2074.

E Regio Monte, 21.III.1542.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Łaski

ob « novum quoddam ac vere christianum vitae genus » ab eo institutum gratulatur; pro servitiis sibi oblatis gratias agit; de infirma eius valetudine dolet et pristinae sanitatis restitutionem exoptat.

Cfr. El. XXXVI, N. 717.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 115-118.

Domino Ioanni in Lassko, XXI Marcii.

Salutem et benevolentiam nostram.

Reverende atque Nobilis, Amice nobis charissime.

Accepimus^{a)} Reverendae Dominationis Vestrae literas, datas Cracoviae sexta Februarii mensis proxime praeteriti, quae nobis fuerunt gratissimae. Intelleximus enim ex illis Reverendam Dominationem Vestram novum quoddam ac vere christianum vitae genus instituisse, ob quod eidem plurimum et gratulamur et Deum Optimum Maximum summpere

praecamur, ut is Reverendam Dominationem Vestram ad divini nominis sui gloriam ac universae Reipublicae Christianae salutem in eo ipso instituto diu salvam, firmam ac incolumem conservare clementer dignetur. Et quamvis iam antea quaedam dubia ac quasi incerta quaedam fama de mutato vitae suae statu ad nos perlata sint, tamen hoc maiorem nobis fidem istud nunc facit, posteaquam talia ex Reverendae Dominationis Vestrae et humanissimis et doctissimis, quamvis admodum brevibus, literis percepimus. Nec celare Reverendam Dominationem Vestram pro singulari nostra in eandem benevolentia possumus, Magnificum ac Generosum, amicum ac fratrem nostrum charissimum, Dominum Stanislaum in Lasko, Sacrae Maiestatis Regiae Poloniae, Domini et Avunculi nostri clementissimi, Consiliarium etc., fratrem Reverendae Dominationis Vestrae amantissimum, paucos ante dies quaedam summa quadam^{b)} fiducia de Reverenda Dominatione Vestra ad nos scripsisse, cui vicissim mentis nostrae sententiam ac voluntatem satis abunde declaravimus*), non dubitantes praefatum amicum ac fratrem nostrum charissimum talia copiose ad Reverendam Dominationem Vestram perscripturum esse.

Scribit porro Reverenda Dominatio Vestra Nobilem ac Generosum, fidelem nobis dilectum, Dominum Iustum Ludovicum Decium, Consiliarium nostrum, recepisse se copiosissime ad nos perscripturum, quae ex Reverenda Dominatione Vestra intellexisset quaeque illi per adversam valetudinem scribere non liceret etc. Reverendam vero Dominationem Vestram certiolem reddimus nos nullas adhuc literas ab eo hac de causa accepisse, quas tamen speramus propediem nos accepturos. Si quid tamen erit, in quo Reverendae Dominationi Vestrae gratificari poterimus, facturi sumus id summo studio atque diligentia singulari etiam non admoniti.

Quod Reverenda Dominatio Vestra nobis et se et causam suam commendat, offerendo suam nobis operam, si quae usui esse possit, sumopereque petendo, ut eandem inter eos numerare vellemus, quos in fidem et patrocinium nostrum receperimus etc., scimus quidem, quid hac in parte facere nos deceat, quodque nostrum, christiani scilicet Principis et verae christianae religionis cultoris atque amatoris, sit officium. Proinde Reverendae Dominationi Vestrae pro eo inserviendi animo, quem tanto nobis studio obfert, summas ac immortales agimus gratias libenterque illam in numerum amicorum nostrorum recipimus. Nec dubitare velit Reverendissima Dominatio Vestra, quin eadem cum ob egregias praeclarissimasque animi dotes, tum singulares suas virtutes nimiumque illum erga religionem nostram amorem ac studium nobis sit commendatissima. Postremo ex adversa Reverendae Dominationis Vestrae valetudine magnum cepimus dolorem, dicique non potest, quantopere ex eo contristati simus. Spem autem habemus maximam Deum clementissimum, pro divina sua benignitate, Reverendae Dominationi Vestrae pristinam suam valetudinem clementer largiturum. Quae quidem omnia Reverendae Dominationi Vestrae ad literas suas in praesentiarum respondere voluimus. Quam diu foeliciter vivere atque valere ex animo optamus. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria.
Hieronimus.

a) *additum in margine.*

b) *in ms. quodam*

*) *cfr. epistolam ducis de 19.III.1542 ad Stanislaum Łaski (N. 2073).*

Albertus dux in Prussia

Iosto Ludovico Decio, monetæ regiae præfecto,

litteras eius, 14.II.1542 datas, se accepisse nuntiat; pro aureis foliis (« flindern ») sibi missis, pro diligentia in obtinendo a rege annuo suo stipendio adhibita, pro argento ex Hungaria sibi suppeditato ac pro novitatibus secum communicatis gratias agit.

Cfr. El. XLIX, N. 241.

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 6-8.

De litteris acceptis, de aureis foliis, de annuo stipendio, de argento ex Hungaria misso (omittitur).

Der mitgetheilten neuen zeitung bedancken wir uns gantz genediglich gutlich siennendt, uns ufftmals derselben zuzuschreyben, dan wir sie itzunder fast seltzam bekhommen. In Littawen helt man die hendel itziger zeit, nicht wissen wir auss was bedencken also enge, das wir gruntlichen nichts oder je wenig erfahren khonnen, das sich die victoria mit dem Turckenn und herwiderumb der unfhal mit den hussarien auch yhn ander wege also zugetragen, muss mans der schickung Gotts beymessen, der aller ding zu seynen ehren und besten wenden wolle. Wiewol man den Whalen itziger zeit viel glaubens geben thut, wes des vor vortheyls und fromens gebracht, gibt die erfahrung, und seyn mit ewer vorsichtigkeyt, was die nidergeworffene brief des turkischen bothen und des keyzers selbest nicht kommens belangt, einstymmigk, das es ein recht stratagema und kein anders, das man die sachen zu grossem nachteyl gemeiner christenheyth verachten thut, ursach sey, aber unsers bedunckens wir itzundt die rechte bequemigkeyt und handtgriff im namen Gotts mit zusammengefaster hulf vortzuffahren, damit der Turck ferner Offenn nicht also nahent kommen möcht, trostlicher zuvorsicht, der itzige gehaltene reichstagk zu Speier sol auch etwas darzu geben und helfen. Allein der Venediger und des Frantzosen vorhaben und impedimenta prengen uns allerley bedencken, dardurch das heylsamer vorhaben wider den Turckenn ethwan villeicht gehindert werden mocht, den Lieben Gott embsiges vleiss bittendt, das wir alle christen und christlich bitten, auss diesem alle sachen gut mochten werden.

De vino sibi ab Ioanne Wunsam mittendo (omittitur).

Datum Konigspergk, den 24 Marcii.

Commissio Principis ex relatione Secretarii.

Albertus Hack.

Albertus dux in Prussia

Gabrielis Tariõ, vexillifero Sandomiriensi,

pro novis de equitum levis armaturæ militari ornatu sibi significatis gratias agit; alias novitates sibi perscribi iubet.

(Schedula: rogat, ut tabellario suo adsit, quo litteras ei concreditas in debita loca perferre et reddere queat).

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 8v-9.

N. 2077.

E Regio Monte, 25.III.1542.

Albertus dux in Prussia

Fabiano Czema (Zcemen)

de equo Henrico Gotsch nondum misso se excusat et rogat, ut ei explicet rationes, ob quas id facere nequiverit; interim equam matrem (« ein mutterpferdt ») ei mittit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 3v-5v.

N. 2078.

E Regio Monte, 30.III.1542.

Albertus dux in Prussia

Petro Kopytowski (Kopitowski), castellano Varsaviensi,

pro subdito suo Georgio de Passeite, in capitaneatu Hohensteinensi degente, cui bona quaedam, in districtu Varsaviensi sita, per mortem devoluta sunt, intercedit et rogat, ut pauperi subdito suo auxilio esse velit, « quo talia bona iustitia mediante sine ullo impedimento consequi queat ».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, f. 119.

N. 2079.

E Regio Monte, 31.III.1542.

Albertus dux in Prussia

Iosto Ludovico Decio, monetæ regiae praefecto,

persolvendi sibi a rege annui stipendii apocham (quitantiam) mittit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 9-9v.

N. 2080.

E Regio Monte, 8.IV.1542.

Albertus dux in Prussia

Gerardo Westerburgio, doctori Coloniensi,

litteras, eius, 5.II.1542 ex Embda in Frisia Orientali datas, se accepisse nuntiat et pro servitiis sibi oblatis gratias agit; petit sibi significari, quibus conditionibus sibi servire velit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 120-122.

N. 2081.

E Regio Monte, 16.IV.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

Petrum Boryn, aulicum suum, commendat et rogat, ut eum regi Romanorum ita commendare velit, quo voti sui et desiderii compos fieri possit.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 122-123.

N. 2082.

E Regio Monte, 16.IV.1542.

Albertus dux in Prussia

episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario [Samueli Maciejowski],

causam Petri Boryn, aulici sui, quam ex supplicatione eius cognoscere poterit, commendat.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 124-125.

N. 2083.

E Regio Monte, 20.IV.1542.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Odrowąz, palatino Russiae,

pro litteris crebro ad se datis et communicatis novitatibus gratias agit; sibi gratam esse nuntiat Ioannis Policki, servitoris suis, in aulam regis Romanorum ablegationem; Ioachimum electorem Brandenburgensem supremum exercituum christianorum ducem adversus Turcas designatum esse significat.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 729.

(Adest conc. Latinum cum dato: 19.IV.1542, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 125-126.

N. 2084.

E Regio Monte, 22.IV.1542.

*Albertus dux in Prussia
civitati Wschovensensi (an die stadt Frawenstadt)
de controversia inter Andream Rabe, civem Regiomontanum, et Ioannem
Kleindinst, civem Wschovensem, de domo quadam intercedente, re-
fert et rogat, ut in illa componenda operam suam interponant.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 10-10v.

N. 2085.

E Regio Monte, 3.V.1542.

*Albertus dux in Prussia
Regni Poloniae thesaurario [Spytconi Tarnowski]
pro annuo suo salario Iosto Ludovico Decio expeditate persoluto gratias
agit.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 127-128.

N. 2086.

E Regio Monte, 3.V.1542.

*Albertus dux in Prussia
Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,
binas litteras eius, 11. et 15.IV.1542 datas, se accepisse nuntiat et ex
eis intellexisse, cuiusmodi responsum a Regni thesaurario in negotio
stipendii sibi a rege annuatim persolvendi datum sit; negotiationes
eius pecuniarias cum Ioanne Patzko factas sibi valde probari scribit;
novitates, praesertim de Turcarum copiis et armis, sibi mitti petit
etc.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIX, NN. 424, 425.

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 10v-12v.

N. 2087.

E Regio Monte, 5.V.1542.

*Albertus dux in Prussia
Stanislao Hosio, canonico Cracoviensi,
pro Christophoro Maltitz, demortui Hieronymi Fersbach, civis Thilsensis,
pupillorum tutore, intercedit et rogat, ut ligna olim ab eorundem
pupillorum patre in Samogitia empta et nunc arrestata ei resti-
tuantur.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 128-130.

N. 2088.

E Regio Monte, 5.V.1542.

*Albertus dux in Prussia
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,
pro Christophoro Maltitz, demortui Hieronymi Fersbach pupillorum tu-
tore.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 130-132.

N. 2089.

E Regio Monte, 5.V.1542.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Zabrzeziński iuniori
pro Christophoro Maltitz, orphanorum defuncti Hieronymi Fersbach tu-
tore.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 132-133.

N. 2090.

E Regio Monte, 9.V.1542.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae
ad litteras regias sibi iniungentes, ut a cudenda moneta supersedeat,
respondet et ius suum ad monetam cudendam defendit.*

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 250.

*(Adsunt 2 conc., Latinum cum dato: 10.V.1542, HBA, B, K. 1163, et
Germanicum, HBA, B, K. 1163).*

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 135-140.

N. 2091.

E Regio Monte, 9.V.1542.

*Albertus dux in Prussia
Andree a Górká, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo,
rogat, ut nuntiis suis, postulante necessitate, si eum Posnaniae adierint,
duobus equis bonis ac validis prodesse velit.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, f. 134.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

litteras eius de concordia et pace inter regem Daniae et comitem palatinum Rheni ineunda se accepisse significat; de libera in mari Baltico navigatione permittenda se paratum esse ad regem Daniae scribere nuntiat; pro communicato sibi regis Romanorum de proscriptione responso gratias agit.

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 140-142.

Responsio ad Regiae Maiestatis Poloniae literas, uniendi Regem Danorum et Palatinum Rheni. X. Maii.

Serenissime Rex, Domine clementissime.

Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae christianas, regias, sinceroque animo profectas literas, pacem ac concordiam inter Serenissimum Danorum Regem¹⁾ et Illustrissimum Palatinum Rheni²⁾, publicae maximae utilitatis causa cupientes, humiliter accepi, perlegi atque intellexi. Mihi vero auditu iucundius cognituque in hac vita magis cordi nihil esset, quam experiri inter christianos, praecipue vero in his regionibus, concordiam ac pacem sanciri et conservari ubique. Ac quandoquidem Serenissima Maiestas Vestra Regia partem alteram non nolle inducias scribit, prorsus nihil dubito, sicut etiam aliter nunquam intellexi, Serenissimum Danorum Regem etc., tanquam studiosum atque amantem pacis, qui pacem semper ubique quaesierit atque petierit, iusta atque tolerabilia sibi oblata media non recusaturum talemque se exhibiturum, ne mora aliqua sancienda concordiae in se reperiat.

Porro posteaquam aliter nunquam scivi, sicut hic et aliis in locis quotidie cernere licet, quam quod omnes aliae regiones et terrae per mare hinc inde proficiscantur proficiscendique libere potestatem habeant, non video, quid huiusmodi Serenissimum Danorum Regem ^{a)}admonere prodesset. Nihilominus tamen Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae literas huc missas iuxta meas quam primum offerri ipsi curabo. Si quid etiam Serenissima Maiestas Vestra Regia pro mea persona me istum in locum scribere velit, faciat me certiore. Ea enim in re (cum fuerit opus) omni debita diligentia et Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae et communi utilitati, quantum in me erit, gratificabor, eam maxime firmam spem concipiens, Serenissimum Danorum Regem^{b)} in omnibus licitis atque possibilibus se benignum, facilem atque promptum exhibiturum.

De communicato Serenissimae Romanae Regiae Maiestatis³⁾ propter proscriptionem responso, scilicet quod ea iam apud Principes et ordines Imperii tractari debeat etc., Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae humiliter gratias ago maximas, Deum Optimum Maximum ex animo obtestans, ut is eandem causam ad bonum atque exoptatum tandem finem

perducere velit. Ad quae omnia promovenda Serenissima Maiestas Vestra Regia nullum clemens studium intermittet... Datae e Regio Monte, mense ut supra.

Commissio Principis propria.

Christophorus Sangner.

a)-b) in Ostpr. Fol. per errorem omissum, 2) Fridericus II.
adest in conc. Latino. 3) Ferdinandus I.
1) Christianus III.

N. 2093.

E Regio Monte, 16.V.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

ob temporis angustiam ad nuptias regis iunioris 1.VII. Cracoviam venire se non posse nuntiat et se excusat; omnem felicitatem toti domui regiae Vilna Cracoviam proficiscenti exoptat.

(Latine)

(Adsunt 2 conc. Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 142-145.

N. 2094.

E Regio Monte, 16.V.1542.

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario, agit gratias, quod se de nuptiis regis iunioris certiolem fecerit.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 732.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 145-146.

N. 2095.

E Regio Monte, 30.V.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

consilium regum expetit, quomodo se gerere debeat, cum a supremo totius exercitus christiani contra Turcam duce, Ioachimo II electore Brandenburgensi, in persona vocatus sit, ut paucis saltem comitatu se ad illum conferret.

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 146-149.

Ad Regem Poloniae. XXX Maii.

^{a)}Petit consilium a Regia Maiestate, quid sibi faciendum sit in hac

caussa, ubi vocatur a Regia Maiestate¹⁾ ac Cesarea²⁾ ad ducem belli contra Turcam^{b)}.

Serenissime Rex, Domine et Avuncule clementissime, modis omnibus dilectissime^{c)}.

Ex debita, quae me obstringit obedientia, necnon et inevitabili haud ita nuper emergente gravi necessitate compulsus, Regia Vestra Maiestate clam habere neutiquam possum, quod posteaquam ab Imperatoria et Regia Romanorum Maiestate, totius denique et Sacri Imperii suffragio, Illustrissimus Princeps, Dominus Ioachimus Brandenburgensis, Marggravius ac Elector, frater meus charissimus, in supremum totius exercitus ducem contra capitalem christiani sanguinis hostem, Turcam, unanimi consensu electus et deputatus est, significavit mihi Illustritas Sua eandem mei, tanquam sibi sanguine iuncti amici, vehementer desiderare assistentiam, quare et summis me precibus oneravit, efflictim petens, quo paucio saltem comitatu ad Suam me Illustritatem conferrem, sperans Romanorum Regiam Maiestatem meam personam clementer accepturam, deinde quod arbitraretur hoc medio posse negotio feudali, me meosque subditos concernente, haud incommode consuli.

Super haec et quid denique Illustrissimi Principes Saxoniae elector³⁾ et Provincialis Comes Hassiae⁴⁾, dilect[i] mei affines et cognati amicissimi, ad instantiam et nomine Electorum ac Principum necnon et aliorum Romanorum Imperii ordinum, simul et absentium legatorum, proximi Comitii Spiraee congregatorum, pro subsidio contra Turcam adferendo suis mecum et literis, hortationibus et precibus egerint, Regia Vestra Maiestas tam ex autographis quam transcriptis praedictorum ordinum literis (quae omnia simul mihi apud praesentem veredarium remitti subdite peto) facili opera expendere poterit.

Ex quo autem Regiae Vestrae Maiestati, sapientissimo tanquam Regi, compertum sit, quantum ex ipso charitatis debito ad promovendum Dei honorem et Reipublicae Christianae salutem quisque obstrictus sit, nec Regia Vestra Maiestas ignorat, quonam cardine et statu res quoque meae ac terrae mihi subditae versentur et sint, negotium denique ipsum in se magnum et arduum sit, mihi quoque omnem citra expectationem et nihil tale ne^{d)} cogitanti quidem oblatum, tempestivam nihilominus consilii boni et necessarii deliberationem quoque requirat, subdita hinc ac humilis ad Regiam Vestram Maiestatem petitio est, ea dignetur iuxta regiae sapientiae, qua mirifice pollet, profunditatem, optimum consilium impartire, quidnam mihi potissimum hoc in negotio faciendum vel obmittendum fuerit, quo opportuna undique rerum administratio et debitus modus mensurae respondens servetur, nec Regiae Vestrae Maiestati laudabiliter Coronae Poloniae aut mihi a quoquam supremo aut infimae sortis nasutulo obtrectatore atra hinc nota quovis modo impingi occulteque damnosae detractio nisi abripi possit.

Huius etiam rei gratia generalem Ducatus mei Conventum, vigesimo primo die Iunii proxime celebrandum properantius indixi, quo et necessariam subditorum quoque meorum consultationem capescere queam, ideo et Regiae Vestrae Maiestatis favorabile quoque, amicum et clemens consilium eo maturius mihi necessarium erit. Quod et debita cum gratitudine expecto ac Regiae Vestrae Maiestati mea, qualia qualia sunt,

subditae obedientiae servitia vicissim semper offero alacria et promptissima. His Regiam Vestram Maiestatem etc. Datae e Regio Monte, mense ut supra.

Commissio Principis
ex relatione Cancellarii.

a)-b) *alia manu.*
c) *verbum correctum.*
d) *sequitur expunctum: cog*
1) *Ferdinandus I.*

2) *Carolus V.*
3) *Ioannes Fridericus I.*
4) *Philippus.*

N. 2096.

E Regio Monte, 30.V.1542.

*Albertus dux in Prussia
episcopo Vladislaviensi [Lucae a Gôrka]
consilium sibi impartiri petit, quid sibi faciendum sit in negotio ab electore
Saxoniae et landgravio Hassiae sibi significato.*

*(Schedula: scire desiderat, quid de subsidio contra Turcam ferendo
rex constituerit).*

Cfr. El. XXXVI, N. 734.

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Ostrpr. Fol., vol. 52, ff. 149-152.

Ad Episcopum Wladislaviensem 30 Maii.

^{a)}Petit consilium de vocatione eius in imperatorem contra Turcam^{b)}.

Syncerum fraternique animi affectum et quicquid grati prestare possumus. Reverende in Christo Pater, Amice ac Frater nobis perchare.

Ea, quae Illustrissimi Principes, affines et cognati nostri dilecti et amicissimi, Dominus Ioannes Friderichus Saxoniae Dux et Elector etc., necnon et Philippus Provincialis Comes Hassiae ad instantiam Electorum, Principum aliorumque Sacri Imperii ordinum, simul et absentium legatorum, Spirae Comitibus proximis congregatorum, ad nos haud ita nuper perscripserunt, ex adiunctis his exemplaribus Reverenda Vestra Paternitas copiose intelliget. At quum optima quaeque, utilitatem, commodum et honorem nostrum concernentia, de Reverenda Vestra Paternitate affatim nobis pollicemur, nec dubitamus Reverendae Vestrae Paternitatis peculiari sapientia prae ceteris splendente perspectum esse, quo potissimum vinculo ad Dei honorem et Christianae Reipublicae compendium promovendum totis quisque viribus obstringitur, quin et hoc grave huiusmodi negotium est, quod certe non minimam nec oscitantem deliberationem requirit, cui et nos sollicitate incumbentes cupide res nostras sic institueremus, ne quicquam vel attentaretur vel intermitteretur, quod mensuram et modum debitae commoditatis excederet, unde dedecoris nephandi alicubi molestia generari posset, hinc amica nostra erga Reverendam Vestram Paternitatem petitio est, ea non gravetur aperire, quidnam sibi videatur de nobis faciendum vel obmittendum, consilium denique suum sanctum et fidele impartire velit, quo debitae undique mensurae ratio et pietatis ordo coleretur. Ne Sacrae Regiae Maiestati, Domino nostro clementissimo avunculoque dilectissimo, nec laudabili Poloniae Coronae aut nobis iuste conviciandi materia cuiquam, superio-

ris vel infimae sortis fuerit, aliquo modo relinquatur. In hoc Reverenda Paternitas Vestra amici et boni vicini officium facturam se non dubitet, quod et nos mutuis vicissim obsequiis alacrius compensare semper studebimus... Datae e Regio Monte, mense et anno ut supra.

Sub textu: Mutatis mutandis scriptum est ad Archiepiscopum Gnesnensem¹⁾, ad Magnum Marschalcum Regni Poloniae²⁾, ad Comitem a Tharnau³⁾ et ad Andream Comitem a Gorckau.

Cedula ad Episcopum Wladislaviensem
et ad Andream Comitem a Gorckau.

Quum et nos ex proximorum Spirensium Comitiorum decreto inter caetera cognovimus unanimi voto conclusum esse et Regiam Maiestatem Poloniae, Dominum nostrum clementissimum avunculumque dilectissimum, una cum laudabili Corona ac ceteris summis potentatibus, pro conferendo subsidio contra Turcam sollicitari, hinc amica nostra petitio est, Reverenda Vestra Paternitas bona fide, quantum licet, nobis significare velit hac de re. Et si forte negotium pro conferendo scilicet subsidio iam iamque attentatum fuerit, quid Regia Maiestas una cum Regni ordinibus apud se faciendum deliberaverint, quo et institutum nostrum, tanquam eiusdem Coronae membrum, aptius attemperare valeamus vicissimque et hoc peculiari gratitudine promereri studebimus. Datae, ut supra in literis.

Commissio Principis propria.
Christianus.

a)-b) *alia manu.*
1) *Petrus Gamrat.*

2) *Petrus Kmita.*
2) *Ioannes Tarnowski.*

N. 2097.

E Regio Monte, 30.V.1542.

Albertus dux in Prussia
episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario [Samueli Maciejowski],
consilium petit, quid sibi de postulato a se subsidio contra Turcas ferendo statuendum sit.

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Cfr. El. XXXVI, N. 736.

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 152-154.

Ad Episcopum Plocensem, Vicecancellarium Regni Poloniae.

^{a)}Petit sibi significari, quid Regia Maiestas Poloniae responderit ad petitionem statuum totius Imperii de auxilio ferendo contra Turcam^{b)}.

Reverenda Vestra Paternitas intelliget, gravia magnaue negotia ea, quae Sacrae Regiae Maiestati Poloniae, Domino nostro clementissimo ac avunculo semper observando, perscripsimus et misimus, et quia nullum nobis est dubium, quin et eadem ad Reverendam Vestram Paternitatem tanquam fidissimum devolventur, nec quicquam incompertum eidem manebit, noluimus Vestram Reverendam Paternitatem his esse molesti. Cumque omnia, quae ad commodum, utilitatem, amicitiam et

honorem nostrum promovendum quovis modo spectare videntur, de ea^{c)} nobis pollicemur, idque cum effectu praestitum grato animo haud semel persensimus, amica nostra et fraterna petitio est, ea velit et in hoc negotio consulere et quid nos potissimum facere vel dimittere deceat, quo debitus ordo et modus undique servetur illaesus, nec Regiae Maiestati laudabilive Coronae Poloniae aut nobis a quoque supremi vel infimi status quicquam dedecoris impingi, occultaeque et damnosae detractationi ansa abripi valeat, fraternum et amicum consilium nobis quoque conferre non gravetur.

Quum praeterea e proximo Comitiorum Spirensium decreto intellexerimus sic conclusum esse, ut Sacra Regia Maiestas Poloniae, sicuti et caeteri Reges christiani, pro conferendo subsidio contra Turcam ad honorem Dei et Christianae Reipublicae utilitatem diligenter sollicitaretur, amice et fraterne flagitamus, Reverenda Vestra Paternitas dignetur nobis, quantum salva fide fieri licet, sub infallibili nostra fiducia significare, quidnam hac in re attentatum fuerit, quid denique Sacra Regia Maiestas una cum Poloniae Corona responderint. Nec hanc nostram amicam petitionem Vestra Reverenda Paternitas ullo pacto moleste ferre velit, obsecramus, ea nimirum necessitate inducti, quo nostrum institutum, tanquam inclitae Coronae membrum, ad eius honorem expeditius componere valeamus. Haec amico nostro officio erga Vestram Reverendam Paternitatem, quam Christo commendatum esse cupimus, modis omnibus promereri curabimus. Datae e Regio Monte, mense ut supra.

Commissio Principis propria.

Christianus.

a)-b) *alia manu.*

c) *supra lineam.*

N. 2098.

E Regio Monte, 30.V.1542.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Hosio, canonico Cracoviensi,

rogat, ut se certiozem reddat, num rex et ordines Regni, sicut ceteri principes christiani, statutum in Comitibus Ratisbonensibus contra Turcas auxilium ferre cogitent.

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 12v-13.

An den doctor Osio den 30 May.

Unsern gunstigen grus und genedigen willen zuvorn.

Wirdiger, achtbar und hochgelerther, besonder lieber.

Nachdem wir auss dem jungsten und letzten gegebenen abschidt zu Regenspurgk sovil vermercken, das es verlassen, wie ko.mt. zu Polann, unser genediger her und freuntlicher, lieber ohaim, neben andern christlichen konigen und potentaten, Gott zun ehren und der christenheit zum besten, umb hulf wider den Turckenn angesucht werden solle, derwegen ist an euch unser genedigs synnen, ir wollet euch nicht beschweren und nach solchem, wess disfals bescheen oder nicht, auch im fhall,

wann das ansuchen vor der handt, wes ko.mt. sampt den löblichen stenden der Chron Polan hierinnen bedacht, vleissigk forschon, wes yr also erfahret, uns dasselben, dornach haben zu richten, sovil zimlichen, wilhaltig machen. Das seint wir gegen ewer person in sondern gnaden abzunemen und zu erkennen geneigt. Datum Königspergk, den 30 May etc.

Commissio Principis ex relatione. Cancellarii.

B. Ganss

Mutatis mutandis an Thomassen Sobotzki.

N. 2099.

E Regio Monte, 6.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

Andrae a Gôrka, castellano Posnaniensi,

de controversia inter eum et Ioannem marchionem Brandenburgensem per se et Fridericum ducem Legnicensem componenda.

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 154-156.

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Cfr. El. XXXVI, N. 742.

Domino Andrae Comiti de Gorckau, VI Iunii.

^{a)}Petit, ut patiatur controversiam inter Comitem^{c)} de Gorkaw et Iohannem Marchionem Brandenburgensem per Fridericum Ducem Lignicensem etc. componi^{b)}.

Magnifice ac Generose, Amice ac Frater nobis perchare.

Quum inter Illustrissimum Principem, cognatum et fratrem nostrum dilectum, Dominum Ioannem Marchionem Brandenburgensem, ex una parte et Vestram Magnificentiam ex altera, dissensio et controversia, nobis admodum invisa, haud ita nuper oborta fuerit, de qua et plurimum dolemus, nostri hinc officii esse putavimus, publicae tranquillitatis gratia, quum periculosa praecipue haec nostra tempora dissidium omne multo gravius ferunt, partes nostras una cum Illustrissimo Principe Electore, pariter cognato et fratre nostro charissimo, Domino Ioa-chimo Brandenburgensi Marchione, pro concordia sarcienda interponere. Sed quia communi totius Sacri Imperii ordinum suffragio praeonomina-tus noster dilectus Elector in supremum instructi exercitus ducem contra Turcam, christiani sanguinis hostem letalem, se eligi et ordinari est passus, iam iamque expeditioni totis viribus incumbit, non potuit Sua se Illustritas amicabilem huiusmodi compositioni, quam summe optabat, accommodare, hinc nobis pro necessaria talis controversiae sublacione consultum videbatur Illustrissimum Principem, affinem, sororium et fratrem nostrum dilectissimum, Dominum Friderichum Silesiae, Ligni-sium et Brigiae Ducem etc., sollicitare et precibus fatigare, quo sua nobis in hoc negocio opera coniungere velit, quod et haud difficile impetravimus. Accedit autem et hoc compendii, quod animus praedicti

nostri cognati Marchionis Ioannis videtur et ad concordiam per nos sarcientiam propendere, dummodo Suae Illustritati ablatorum prius restitutio fiat. Si igitur et Vestrae quoque Magnificentiae praenominatus Princeps Lignisiae Dux una nobiscum pro transactoribus acceptabilis et idonei visi fuerimus, amice petimus, praecipue quum pacis sanctissima iura summe colenda nemo nesciat, Vestra Magnificentia etiam in hac parte nihil eorum subterfugere velit, quae ad concordiae christianae reparationem quoquo modo spectare videntur.

Quare ne humanitatis defectus seu amicitiae confirmandae negligentia Vestrae Magnificentiae impingi queat, ea dignetur ad promovendam transactionem sic se accommodare, quo Marchioni Ioanni, nostro cognato, restitutio in integrum libere quam primum fiat, per quod medium ampla nobis spes refulget totam excitatam controversiam sopiri posse et inter utramque partem pax, tranquillitas et optimae vicinitatis bona familiaritas iterum plantatam iri^{z)}. Restitutio autem illa eo minus Vestrae Magnificentiae gravis videatur et difficilis, quod nullius iura vel minimum infringit, restat enim, ut transactionis cognitione decernatur, cuiusnam quodlibet competat, cuique sua debita pars adiudicanda, ne quisquam sui iuris dispendium patiat, aequitatis ratio demonstrabit. Quaecumque tandem et nos una cum praedicto nostro soror et fratre, Lignicensi Duce, mutuae amicitiae officia in causae promotione impendere valuerimus, nulla negligemus. Nam Vestrae Magnificentiae amicitiam multis officiis honestare propensi sumus semper, quam et Deo Optimo Maximo his commendamus perpetuo. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria.
Christianus.

a)-b) *alia manu.*

z) *sic in ms.*

N. 2100.

E Regio Monte, 7.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,

pro 100 florenis ad equos sibi coemendos Ioanni Policki numeratis gratias agit; de die nuptiarum regis Poloniae iunioris accuratius edoceri desiderat; rogat, ut Ioanni Policki in coemendis equis adesse velit; de meliore eius valetudine gaudet; de militibus mercenariis a Regni thesaurario Cracoviae conducendis, de eorum numero et stipendiis melius informari cupit; argentum sibi emptum in domo Michaelis Koseler Gedani interim deponendum esse significat; de viribus Turcarum etc. se certiolem reddi petit.

(Germanice)

Cfr. El. XLIX, N. 426.

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 13v-16v.

N. 2101.

E Regio Monte, 8.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

pro Barbara Maraun vidua, cive Regiomontana, causam habente cum heredibus Lucae Ketting, civis Gedanensis, qui cum marito olim suo societatem mercatoriam inierat; item pro eiusdem Barbarae filia, Gerardi a Wauen, civis Regiomontani, vidua, cui causa est de hereditate post mortem fratris germani eiusdem mariti sui, Petri a Wauen, qui nullos propinquiores heredes reliquit praeter unici fratris sui filios, nepotes suos.

(Latine)

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 156-161.

N. 2102.

E Regio Monte, 8.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

Erasmio Bretler, aurifici Vilnensi,

pro servitore eius Philippo Marscheidt, inhonesti servitii accusato, Hieronymi Plato, eiusdem Philippi vitrici, et nonnullorum amicorum eius nomine intercedit et rogat, ne eum in ius vocare velit, ac promittit damna ei ab eodem Philippo illata a vitrico et amicis ipsius sartum iri.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 142-143.

N. 2103.

E Regio Monte, 15.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori

pro Bernardo Aichner, in oppido Riesenburg (Prabuty) habitante, intercedit et rogat, ut causam eius regi Romanorum commendet, quo una cum sorore sua bona patri eorum iam demortuo, civi olim oppidi Clausen (Chiusa), sub regis Romanorum ditione siti, «propter paululum delicti» erepta, prout innocentes et legitimi heredes recuperare possint.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 161-163.

N. 2104.

E Regio Monte, 17.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori

pro Boleslao barone ab Eulenburg (Eilenburgk), capitaneo in Bartenstein (Bartoszyce), ius quoddam in ditionem Crossen (Krosno) habente, intercedit et rogat, ut eum electori Brandenburgensi [Ioachimo II] commendare velit, quo ius suum consequi possit.

(*Latine*)

(*Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163*).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 163-165.

N. 2105.

E Regio Monte, 17.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario [Samueli Maciejowski],

causam Boleslai baronis ab Eulenburg (Eilenburgk), quem una cum Eckio a Reppichau ad nuptias regis iunioris ablegavit, commendat et rogat, ut ei ita adesse velit, quo ius suum ab electore Brandenburgensi [Ioachimo II] consequi possit.

(*Latine*)

(*Adest fragmentum conc. Latini, HBA, B, K. 1163*).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 165-167.

N. 2106.

E Regio Monte, 17.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Hosio (Osio), canonico Cracoviensi,

capitaneum in Bartenstein, Boleslaum ab Eulenburg, una cum Eckio a Reppichau ad nuptias regis Poloniae iunioris Cracoviam se conferentem, commendat.

(*Sub textu: Mutatis mutandis an den bischofen zu Hilspergk [Ioan-nem Dantiscum], an den bischof zu Plotzke [Samuelem Maciejowski], ahn herrn Achatien Zcemen*).

(*Germanice*)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 16v-17v.

N. 2107.

E Regio Monte, 18.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Policki (Politzky)

quattuor equos bonos, ad trahendos currus aptos, sibi emi iubet, pecunia ad hoc necessaria a Iosto Ludovico Decio accepta; novitates, praesertim de Turcarum moliminibus, sibi mitti petit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 18-19.

N. 2108.

E Regio Monte, 21.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

Petro Opaliński, magistro curiae regis Poloniae iunioris,

equum Frisium dono mittit; rogat, ut negotia sua apud regem promoveri studeat.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 19-19v.

N. 2109.

E Regio Monte, 24.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

pro Martino Hermensdorff (Hermsdorff), subdito suo, cui tanquam actori cum Ioanne Lickefedt tanquam reo causa quaedam est et qui ad statutum diem coram iudicio regio ob temporis angustiam comparere nequit, intercedit et rogat, ut ex benignitate regia ei iustitia administretur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 167-169.

N. 2110.

E Regio Monte, 24.VI.1542.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Hosio, canonico Cracoviensi,

causam Martini Hermensdorff (Hermsdorff) ei commendat.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 169-170.

N. 2111.

E Regio Monte, 24.VI.1542.

Albertus dux in Prussia
episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario [Samueli Maciejowski]
causam Martini Hermensdorff (Hermsdorff) commendat.

(Latine)

Cfr. *El. XXXVI*, N. 741.

(*Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163*).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 171-172.

N. 2112.

E Regio Monte, 28.VI.1542.

Albertus dux in Prussia
capitano Marienburgensi [Felici Srzeński]
pro Gertrude, Pauli Szaminski relicta vidua, cui a quibusdam defuncti
mariti sui heredibus Marienburgi apud lanificem quendam 315 mar-
cae arrestatae sunt, intercedit et rogat, ut opera sua interposita
eiusmodi pecuniae summam, iure sibi debitam, sine mora ulloque
impedimento consequi possit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 172-174.

N. 2113.

E Regio Monte, 7.VII.1542.

Albertus dux in Prussia
Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praejecto,
pro pecunia Ioanni Policki ad sex equos coemendos numerata et nuntio
de nuptiarum regis iunioris procrastinatione gratias agit; rogat, ut
de novo nuptiarum termino se certiores faciat et nova, praesertim
de Turcarum viribus in Hungaria, perscribat; sucinum album, quem
sibi procurari petebat, dono mittit.
(Schedula: rogat, ut litteras suas una cum sucina pyxidicula (« schach-
telchen ») Stanislao Maciejowski reddere velit; pro communicatis no-
vitatibus gratias agit; reliquos commissarios suos ad tractandum ne-
gotium abrogandae proscriptionis, praeter cardinalem Moguntinum
[Albertum marchionem Brandenburgensem] se nondum designasse
nuntiat; de legatione Turcica melius edoceri cupit).

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 24v-26.

*Albertus dux in Prussia
palatino Plocensi [Felici Srzeński]
ad litteras eius, 2.VII.1542 datas, quibus a sententia a iudicio Olstinen-
si in causa de bonis Samino et Grunwalth lata ad iudicium ducale
appellavit, respondet eiusmodi causam, tanquam arduam et magni
momenti, brevi tempore expediri non posse et rogat, ut « istam de-
liberandi et consultandi moram » boni consulat.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 739.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 174-175.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae
de subsidio contra Turcas ferendo; de die nuptiarum regis iunioris (cum
Elisabeth Austriaca).*

(Schedula: litteras regis Daniae transmittit).

*(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum sine schedula, HBA, B,
K. 1163).*

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 176-180.

Ad Regem Poloniae.

Propter auxilium contra Turcam et nuptias filii. X Iulii.

Serenissime Rex etc.

*Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae literas, Sandomiriae XII Iunii
praesentis anni datas, omni debita reverentia accepi, in quibus mihi
mentem suam de Illustrissimorum Principum et Electorum Brandenbur-
gensis¹⁾ et Saxoniae²⁾, nec non Illustrissimi Domini Landtgravii Hessiae³⁾
etc. literis clementer aperit et se ad ea, quae mihi Magnificus ac Gene-
rosus Dominus Andreas Comes de Gorckau etc. nomine Serenissimae
Maiestatis Vestrae Regiae ante aliquot menses indicavit, refert. Porro
prorsus nihil dubito, quin Serenissima Maiestas Vestra Regia clementer
recordetur eorum, quae praedictus Dominus Castellanus Serenissimae
Maiestati Vestrae Regiae eadem de causa nomine meo responderit, quae
omnia nunc hic recensere supervacaneum puto, ad ea tamen me refero.
Nam Serenissima Maiestas Vestra Regia hoc firmiter credere et certo
sibi persuadere debet me (adiuvante Deo) subiectionis meae ac Serenis-
simae Maiestati Vestrae Regiae inclitoque Poloniae Regno praestiti homa-
gii eam rationem habere et habiturum, ut me propterea merito accu-
sare aut reprehendere nemo possit.*

*Quandoquidem autem a toto Romano Regno christianum auxilium
contra hostem christiani nominis infensissimum postulatum atque peti-*

tum sit, ego etiam me, hominem christianum, quamvis imbecillum, agnoscam, mecum deliberavi, nullo modo aliter decere, quam ad demonstrandum meam fidem et charitatem, quam christiani homines, praesertim in^{a)} eiusmodi necessitatibus et angustiis invicem exercere tenentur et non ex debito, aut quod vellem sic Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam defraudare vel ipsiusque Regni iustitiae aliquid detrudere, Romano Regno auxilio aliquo apparere et subvenire. Ac quamvis consentientibus meis fidelibus subditis^{b)} equites aliquot mittere constitueram, Serenissimae tamen Maiestatis Vestrae Regiae consilium eo me^{b)} meosque subditos pertraxit, ut summa quadam pecuniae subvenire potius nunc decreverim quam equitibus. Pecuniam igitur quandam mittere pollicitus sum et hoc inter reliquas predictas eam maxime ob causam, quod spero, Serenissimas Romanas Caesaream⁴⁾ et Regiam⁵⁾ Maiestates totumque Sacrum Romanum Regnum isto obsequio et promptitudine ad maiorem gratiam et clementiam incitari, praeterea me meosque fideles subditos ab odiosissimo gravamine tandem liberari. Ad haec in necessitatibus et angustiis (quas Deus clementer avertere dignetur) mihi meisque terris et subditis fidele auxilium facilius praestari. Meo namque iudicio melius atque consultius semper videtur eiusmodi ac his similibus mediis et rationibus gratiam, favorem, pacem fidelitatemque impetrare (uti Serenissima Maiestas Regia ipsa fatetur) quam in perpetuo metu ac gravamine permanere, vel etiam multo periculo adversorum mirificas practicas ac periculosos conatus armis aut gladio avertere. Quapropter firmiter spero Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam meum istud propositum, in Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae Coronae Poloniae meorumque miserorum subditorum per me institutum, clementer probaturam. Spero enim exinde nihil periculi eveniri.

Postquam etiam Serenissima Maiestas Vestra Regia me nunc iterum ad Serenissimi Potentissimique iunioris Poloniae Regis etc., filii sui charissimi Dominique mei clementissimi, nuptias praeclarissimas, si forte ad diem divo Bartolomeo sacrum et non ultra prorogatae fuerint, vocavit, ego ad tale regium coniugium (sicuti antea) gratiam Dei omnemque foelicitatem ex animo precor, curaboque (quantum inevitabilibus causis non impediatur), ut ad tempus praescriptum appaream ac omnia, quae Serenissimae Maiestates Regiae iubeant mihi et factu possibilia sunt, in singularem omnium Serenissimarum Regiarum Maiestatum totiusque earundem laudatissime regiae domus honorem praestem. Quibuscumque namque in rebus Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae eiusdemque regiae domui ego grata debitaque servitia pro officio meo exhibere et praestare possum, Serenissima Maiestas Vestra Regia me, tanquam obedientem Principem vasallum consanguineumque, promptum et paratum inveniet. Quam nunc Christus ex omni parte prosperrimam diutissime conservare dignetur. Datae e Regio Monte. Mense et anno ut supra.

Commissio Principis propria.

C. Sangner.

Cedula

^{c)}Mittit Regiae Maiestati literas Regis Danorum^{d) 6)}

Serenissime Rex, Domine Clementissime etc.

Serenissimus Danorum Rex etc. quasdam mihi literas misit, petens, ut eas per occasionem quam primum Serenissimae Maiestati Vestrae

Regiae obferri curare vellem. Eas igitur debita reverentia mitto, Sere-
nissimae namque Maiestati Vestrae Regiae non tantum in hoc, sed multo
maiori inservire sum paratus. Datum ut in literis.

a) sequitur expunctum: eiusdem

b) hoc verbum repetitur.

c)-d) alia manu.

1) Ioachimus II.

2) Ioannes Fridericus I.

3) Philippus.

4) Carolus V.

5) Ferdinandus I.

6) Christianus III.

N. 2116.

E Regio Monte, 10.VII.1542.

Albertus dux in Prussia

Thomae Sobocki, tribuno Lanciensi, et Gabrieli Tarlo, vexillifero San-
domiriensi,

inopiam cibi famulis suis et pabuli equis, quam Cracoviae iam expertus
est, cum ad nuptias Ioachimi II electoris Brandenburgensis cum
reginula Hedvige ineundas se contulisset, vitare cupiens, rogat, ut com-
moda hospitia ac diversoria, necnon sufficientem cibi et pabuli copiam
sibi et comitibus suis, ad nuptias regis Poloniae iunioris Cracoviam
venturis, apparare studeant.

(Schedula: petit, ut in eodem hospitio deversari possit, in quo iam
pridem commorabatur, et ut in vicinia medicus suus ac famuli
habitare possint).

(Alia schedula soli Gabrieli Tarlo destinata: scire desiderat, utrum
nuptiae regis iunioris ad festum s. Bartholomaei an dominica hoc
festum sequente celebrabuntur et quo die Cracoviam venire debeat).

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 22-23v.

N. 2117.

E Regio Monte, 10.VII.1542.

Albertus dux in Prussia

Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,

litteras eius de regis Cracoviam per imbrem adventu et eius ibi adversa
valetudine se accepisse nuntiat et Deum precari, ut bonam sanita-
tem regi restituere dignetur; exoptat, ut nuptiae regis iunioris feli-
citer celebrentur et de Sigismundo ab Herberstein in hoc negotio legato
Cracoviam misso gaudet; sperat hoc matrimonium, praeter varias
practicas ad id impediendum structas, ad bonum finem deductum
iri; de non ampliore ad litteras eius responso multis et arduis nego-
tiis suis se excusat.

Cfr. El. XLIX, NN. 428, 429.

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 19v-22.

An Jobst Ludwigenn den X Julii. Erstlichen, wie das ko.mt. im regen
sey zu Crockau einkhommen, und wie dornach seyne ko.mt. mit
schwacheit befallen sey, item, was anlangt das konigliche beylager
etc.

Unsern grus zuvorn.
Edler, lieber, getrewer.

Uns sein in einer stundt zwey schreyben, beyde den XXI Junii ver-
schines monats datirt, von euch behendigt worden. Daraus erstlichen,
welcher gestalt ko.mt. in einem regen einkommen, sampt fernerem
inhalt, den wir zu repetiren unnötig achten, lesende eingenommen und
vorstanden. Nun hoffen wir, der regen solle das waywasser sein, damit
der liebe Gott seyne mt. besprenget, und das er irer mt., derselben
konigreichen ^{a)}und landen solche einkunft^{b)} zum besten geraichen möge.
Das aber^{c)} ire ko.mt. widerumb betlagerig, sein wir fast erschrognen,
dorfen auch nicht schreyben, wie leit uns solchs ist. Aber gegen ewer
person tragen wir desselben keyne schew und mochten wol irer mt.
die schmerzen, so es anders sein kundt, tragen helfen, damit dieselb
erledigt, wolten uns auch solchs zu thun und zu ubernemen nicht
beschweren. Angesehen, wes landen und leuthen ahn irer mt. gelegen,
hirneben so dringet uns auch die nahe blutverwandtnus und underthe-
nige pflicht darzu. Weyl es der liebe Gott also geschigt und nicht anders
haben wil, so muss es seyner allemechtigkeit ergeben und bevolen sein.
Wollen aber dieselb embsigs vleiss anrufen und bitten, das ehr durch
seyne veterliche gnade und barmhertzigkeit irer mt. zur gesuntheit ins
erste (wo es nicht algerit, wie gentslich hoffen, gescheen) widerumb
verhelfen wolle etc.

Das konigliche beylager betreffende, hat ir mt. uns zum andern
mol itzo in der eyl, wiewol wirs s. ko.mt. einmal abgeschlagen, der-
massen, das wir uns des zugs, wo uns andere mergliche ehaften daran
nicht verhindern, ubernemen müssen. Wollen auch den Almechtigen
bithen, ehr wolle vofugen, das konigliche beylager, desgleichen aller
derzu erforderthen ankunft, zu Gotts eren und preiss, auch gemeyn
lande wolfart gescheen möge. Und haben werlich sonderlichen gern
vermercket, das herr Sigmundt von Heberstain fur eynen gesandten
in dieser handlung von ro. ko.mt. gebraucht. Mochten auch wol leyden,
so es muglichen, das wir uns, wo nicht lenger jhe nurt zwu stunden,
mit ime sprechen und underreden möchten. Nichts mynder hoffen wir
teglichen alle stunden brive und schriften in der hairaidtshandlung von
euch zu bekhommen.

Das aber, wie bede ewer schreyben melden, wil practicen die zu
zerstoren etc. vorhanden, ist erschreglich. Aber wie dem, so muss allein
auf Gott, der der volcker hertz und radtschlege zertrennet, geschehen
und auf inen getrewet sein. Derselbige werde dannacht wol seyne gotli-
che gnade verleyhen, damit der handel nicht nach aller wulfe heulen
und geschrey, sonder zu ehren seynes gotlichen namens geburende volg
erlange.

Der antzaigung, wie unser^{d)} lieber vether, der churfurst¹⁾, zu Wienn
ankommen, wes daselbest ergangen, und sonst mit gewilder zeitungen,
nichts synder das yr uns hinfurder mehr und offer zu schreyben ^{e)} un-
günstig sein, desgleichen euch unsers bescheidts mit ausslegung
, auch yn keufung der pferdt an ewern vleiss nichts erwin-
lassen, betrifft, thun wir uns genediglichen bedancken, in
den widerumb zu erkennen.

euch aber dissmals nicht notturtig auf ewer schreyben
begeren wir uns gutwillig entschuldigt zu haben, dann wir
aufrustung auch sonsten landthandeln so vil zu thun, dorob
n zu lassen verhindert. Nachdem wir uns aber hoffen mit

euch personlich in kurtz mit gotlicher hilf zu besehen und zu besprechen, haben wir die schriften weyther nicht zu erlengern so vil mehr ursach gehabt. Wann uns nu der liebe Gott zusammen verhilf, wollen wir uns allerley underreden, abermals gutlich synnendt, ir wollet vorfurdern helfen, damit wir mit unsern hofgesindt yn bequemen herbergen nicht weit voneinander, sonder als die luterischen nahent beyeinander sein mögen, damit nicht ethwan ein reudisch schaf under uns khommen und irrungen anrichten thu. Daneben uns jhe under augen, wie es mit ko.mt. schwachheit, desgleichen wes yr erfaret mit dem christlichen krigsvolck yhn Hungern^{f)} gelegen, und wie starck der Turck im herauszuge sey, schreyben. Dann uns werlichen hertzlichen solchs zu wissen verlangt.

Sovil die sachen, darinnen wir ewers raths begeret, anlangt, befinden wir in genediger danckbarkeyt, das ir damnacht denselben wolbedechtig nachgetracht, dasselb ewer bedencken ist, auch den andern nicht weytestemmig, derwegen wir solchem sovilmehr zu folgen. Wann uns aber der allerhochste Gott, wie oben vermelt, zusammen verhilfe, wollen wir, wie oben vermeldt, allerley notturftiger mit euch von diesen und andern sachen, als unserm vertrauthem, handeln und reden.

Wes dasjenig, so ewer eydem, unser hertzgeliebten gemahel²⁾, aussgerichtet betrifft, beruhet in sich selbest und ist neben unserm irer l. genedigis begeren, ewre liebe haussfrawen und kynder genediglichen von unsert und irer liebden wegen zu grussen unbeschweret, auch selbst gegrusset sein wollet. Dann euch und alle den ewern vil genedigis willens zu erzaigen seindt wir in gnaden gewogen. Datum Konigspergk, ut supra.

Commissio Principis propria.

B. Gannss.

a)-b) in margine

c) sequitur expunctum: solche.

d) sequitur expunctum: freuntlichen.

e) sequitur expunctum: ub.

f) sequitur expunctum: in Hungernn.

1) Ioachimus II.

2) Dorothea.

N. 2118.

E Regio Monte, 11.VII.1542.

Albertus dux in Prussia

Severino Boner, castellano Biecensi,

eum, oppiduli Stomniki dominum, rogat, ut sibi et comitibus suis una cum 400 equis requiem unius diei in oppidulo suo permittat et cibum ac pabulum pro pecunia procuret.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 24-24v.

N. 2119.

E Regio Monte, 23.VII.1542.

Albertus dux in Prussia

Erasmio Bretler, aurifici Vlnensi,

pro benevolentia in negotio Philippi Marscheidt exhibita gratias agit et se persuasum esse asserit, eum hac in re ita se esse gesturum, ut hominem vere christianum decet.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 143-144.

N. 2120.

E Regio Monte, 31.VII.1542.

*Albertus dux in Prussia
capitaneo Samogitiae [Matthiae Janowicz]
pro subdito suo Hennicken Ebelauck, cive Cleipodiensi (Mummelensi), cui
per telonearios in Samogitia pecora quaedam erepta sunt, intercedit
et rogat, ut operam suam interponat, quo subdito suo dicta pecora
restituantur.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 752.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 180-181.

N. 2121.

E Regio Monte, 4.VIII.1542.

*Albertus dux in Prussia
Stanislae Maciejowski
pro diligentia et studio in promovendis negotiis suis, praesertim in Co-
mitiis Imperii Ratisbonae adhibito, gratias agit et catenulam auream,
in cistula quadam inclusam, dono mittit.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 748.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 181-182.

N. 2122.

E Regio Monte, 4.VIII.1542.

*Albertus dux in Prussia
Stanislae Odrowąz, palatino Russiae,
litteras eius, Cracoviae 22.VII.1542 datas, se accepisse nuntiat; pro scrip-
tis novis et pro eximia in se humanitate gratias agit; equum, quem
sibi procurari petiit, dono mittit.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 743.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 183-184.

N. 2123.

E Regio Monte, 5.VIII.1542.

*Albertus dux in Prussia
Bernardo Pretwicz (Bretwitz), capitaneo Barensi,
rogat, ut Ioanni Policki in emendis equis praesto sit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, f. 26.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

pro nuntio de nuptiarum regis iunioris prorogatione gratias agit; magno cum gaudio se accepisse nuntiat causam Pruthenicam tandem tractari debere; pro diligentia regis in reconciliandis invicem rege Daniae et comite palatino Rheni adhibita gratias agit.

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA., B, K. 1163).

Cfr. El. XXX, NN. 251, 252.

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 184-187.

Ad Regem Poloniae. X Augusti.

Gratias agit, quod se de filii sui nuptiis certiolem reddiderit. Item gaudet Pruthenicam causam tandem tractari. Item de controversia inter Danorum Regem¹⁾ et Palatinum Reni.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae literas, Cracoviae die solis post festum Beatae Mariae Magdalenae praesentis anni datas, debita reverentia humiliter accepi earundemque tenorem intellexi. Porro Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae gratias ago maximas, quod me de Serenissimi sui filii, Domini mei clementissimi, nuptiarum prorogatione certiolem reddiderit, Deum omnipotentem devoto animo orans, ut institutum nuptiarum diem foelicem concedat, Serenissimas Regias Maiestates omnes omni prosperitate ad praescriptum locum deducat. Nihilominus etiam divinam suam gratiam donet, quo laudatissimum hoc regium coniugium ad gloriam ipsius in communis Christianitatis, omnium Serenissimarum Regiarum Maiestatum subditorum incrementum et commodum ac utriusque partis salutem vergat. Quapropter ita me praeparabo, ut (mediante Deo omnipotente) ad indictas regias nuptias in singularem Serenissimarum Regiarum Maiestatum obedientiam atque honorem, tanquam consanguineus et obediens Princeps vasallus, appaream eisdemque mea servitia ac quaeque gratissima pro meis viribus exhibeam et praestem.

Non minimo etiam gaudio accepi, quod tandem^{a)} semel Bruthenica causa agi atque tractari debeat. Faxit Deus Optimus Maximus, ut ad foelicem optatumque finem perducatur. Non autem fuisset necesse, quod Serenissima Maiestas Vestra Regia a me ad hanc causam commissarios, locum et tempus denominari postulet. Nam eadem tanquam peritissimus sapientissimusque Rex, mediantibus consiliariis suis prudentibus ea omnia sine tenui meo iudicio in ipsius ac meum commodum melius excogitabit, deliberabit atque inveniet. Quo autem Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae me etiam in hac re obedientem exhibeam, uti citra iactantiam eidem in omnibus me exhibere studeo, dicam quod sentio. Illustrissimi igitur Principes Ludovicus Elector Palatinus Rheni, Ioachimus Elector Brandenburgensis, Wilhelmus Comes ab Hennenbergk, praeterea Ottho Heindericus Palatinus Rheni et Comes Albertus a Mansfelt ad dictam causam haud inconvenientes videntur.

Locus autem istius tractationis, quo Coronae Poloniae esset propior, tanto iudicaretur melior, ut si quando necessitas postularet, Serenissima Maiestas Vestra Regia eo citius conveniri posset. Propterea non inconsultum existimo, ut iuxta praedictos Principes et Dominos Sacri Romani Regni ad eiusmodi tractationem ex inclita Poloniae Corona homines alicuius autoritatis et existimationis, prudentes atque in hac causa pre ceteris periti, ordinentur, qui Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae iustitiae et iurium propter has terras, aliarumque circumstantiarum plenam cognitionem haberent, deque iis omnibus reliquos Romani Regni Dominos certiores reddere et in summa ex vero fundamento Coronae iustitiam defendere, tueri atque conservare possent. Ne sic hac parte quid negligatur, sed potius id, quod ad pacem, tranquillitatem concordiamque pertinet, concludatur, sin vero dicta causa plane transfigi et componi (quod absit) non posse videretur, ut saltem certissimae longissimaeque induciae impetrarentur etc.

Quod Serenissima Maiestas Vestra Regia Serenissimum Dominum Danorum Regem¹⁾ etc. atque Illustrissimum Palatinum Rheni, mediante Sacra Romana Regia Maiestate, reconciliare tanta regia diligentia studuerit atque in posterum studere pollicetur, eidem humillimas gratias ago maximas, nihil dubitans Serenissimum Danorum Regem id diligenter demeriturum. Ad haec promitto me omnia, quae pacem et concordiam sancire, praeterea Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae, inclitae Coronae eiusdemque subditis prodesse possent, diligenter tentaturum, promoturum atque curaturum esse. Literas Serenissimo Danorum Regi mitti quam primum curabo ac responsum, quod reddiderit, Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae remittam. Christus Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam (cui me hoc omnique tempore humiliter commendo), quam diutissime incolumem omnique ex parte foelicissimam conservare dignetur. Datae e Regio Monte. Mense et anno ut supra.

Commissio Principis propria.
Crist[ophorus] Sangner.

a) *hic in margine*: Commissariis
1) *Christianus III.*

N. 2125.

E Regio Monte, 10.VIII.1542.

*Albertus dux in Prussia
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,
pro litteris, Cracoviae 24.VII. ad se datis, et pro communicatis novitatibus, praesertim de die et loco nuptiarum regis iunioris, gratias agit.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 744.

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B. K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 188-189.

N. 2126.

E Regio Monte, 10.VIII.1542.

Albertus dux in Prussia

Christophoro Konarski (Conersski)

pro significatis sibi novitatibus, quamquam horrendae ac tristissimae fuerint, gratias agit; Deum obsecrandum esse scribit, ut iram suam a peccatis christianorum averiat et pacem eis ac mutuam concordiam impertiat; rogat iterum, ut sibi nova, praesertim de statu rerum in Hungaria, perscribere velit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 26v-27.

N. 2127.

E Regio Monte, 12.VIII.1542.

Albertus dux in Prussia

episcopo Samogitiae [Venceslao Wierzbicki]

Ioannem Simonem, servitorem suum, negotium quoddam in Samogitia cum fratribus suis habentem, commendat et rogat, ut ei in eiusmodi negotio commodius expediendo auxilio sit et salvum conductum concedat.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 190-191.

N. 2128.

E Regio Monte, 12.VIII.1542.

Albertus dux in Prussia

«Georgio a Sironowitz, capitaneo in Samogithia generali» (sic in ms.), pro Ioanne Simone, servitore suo, intercedit.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 191-192.

N. 2129.

E Regio Monte, 16.VIII.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori

Georgium Zablocium (Zabłocki), Lithuanum, linguae Polonicae peritum, commendat, ut Cracoviae vel alibi alicui muneri, praecipue scholastico, adhibeatur.

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Iam ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, Altpreussische Monatschrift, 42. Band, Königsberg 1905, Beilage III.

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 192-193.

N. 2130.

E Regio Monte, 19.VIII.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

subditum palatini Plocensis [Felici Srzeński], a Cherubino Kosmaczewski, tanquam viarum exploratorem, comprehensum et capitaneo Neidenburgensi traditum atque incarceratum, ad instantiam palatini ex carcere dimissum iri nuntiat, modo etiam palatinus mulierem quandam institicem, in Masovia in oppido Mława cum liberis, equis, curru et mercibus arrestatam et detentam, liberare velit.

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 254, El. XXXVI, N. 747.

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 194-196.

N. 2131.

E Regio Monte, 19.VIII.1542.

Albertus dux in Prussia

palatino Plocensi [Felici Srzeński]

subditum quendam eius, a Cherubino Kosmaczewski comprehensum et capitaneo Neidenburgensi in custodiam traditum, ad instantem eius petitionem ex carceribus dimissum iri nuntiat, sed rogat, ut palatinus institicem quandam, in oppido Mława cum equis, curru et mercibus iussu et mandato suo arrestatam ac detentam, una cum rebus suis liberet.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 196-197.

N. 2132.

E Regio Monte, 19.VIII.1542.

Albertus dux in Prussia

episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario [Samueli Maciejowski]

de palatino Plocensi [Felici Srzeński] queritur, qui forum bovine Soldaviense, semper in Ducatu suo Prussiae omnibus negotiatoribus liberum et apertum, Masoviensibus prohibere conatur, et rogat, ut apud regem curare et tantum efficere studeat, quo praedictus palatinus ab instituto suo desistat et nundinas Soldavienses, uti hactenus semper fuit, subditis suis libere frequentare permittat.

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 750.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 198-199.

N. 2133.

E Regio Monte, 23.VIII.1542.

*Albertus dux in Prussia
Thomae Sobocki, tribuno Lanciciensi,
Georgium Zablocium (Zablocki), propter « unice puri et veri verbi Dei »
professionem ex Lithuania pulsum, linguae Polonicae gnarum, com-
mendat et rogat, ut causam eius regi commendet, quo ludi magistrum
agere queat.*

(Sub textu: In simili forma ahn Gabriel Therla).

(Germanice)

Iam ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, loc. cit., Beilage IV.

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 27-27v.

N. 2134.

E Regio Monte, 23.VIII.1542.

*Albertus dux in Prussia
Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,
pro communicatis novitatibus, praesertim de meliore regis valetudine
nuntiantibus, gratias agit; aurea folia uxori suae [Dorotheae] et re-
centiores novitates sibi mitti petit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 27v-28.

N. 2135.

E Regio Monte, 24.VIII.1542.

*Albertus dux in Prussia
Gabrieli Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,
certiorem se reddi iubet, an ad nuptias regis iunioris ante vel post
eiusdem regis Vratislavia reditum venire debeat et ubi hospitia ac
diversoria sibi et comitatus suo designata sint; novitates ex Hunga-
ria sibi scribi petit et scire desiderat, quid Moscovitarum orator
secum attulerit; pro vestibus ei missis tanta gratiarum actione opus
non fuisse ait.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 28-29.

N. 2136.

E Regio Monte, 25.VIII.1542.

*Albertus dux in Prussia
iudicibus et scabinis regiae civitatis Caunensis
pro Matthia Hollandt, Ambrosii Adler privigno, intercedit et rogat, ut
opera eorum interposita pecuniam ei a civibus Caunensibus debitam
recuperare possit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 144-145.

N. 2137.

E Regio Monte, 27.VIII.1542.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo I regi Poloniae

de novis et insolitis teloneis, contra « aeternum contractum » inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae initum a capitaneo regio Plotelensi (in Plattel) institutis, conqueritur.

(Annexum: Copia literarum tenutarii in Plattel ad Capitaneum Mummelensem propter novum theloneum).

(Latine)

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 199-203.

N. 2138.

E Regio Monte, 28.VIII.1542.

Albertus dux in Prussia

episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario [Samueli Maciejowski],

de novis teloneis, a tenutario Plotelensi contra initos utrinque contractus institutis, queritur.

(Schedula: transmittit libellum quendam contra ducem Brunsvicensem ab electore Saxoniae et landgravio Hassiae editum).

(Latine)

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 203-206.

N. 2139.

E Regio Monte, 29.VIII.1542.

Albertus dux in Prussia

Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,

de discordia inter Ioannem Fridericum electorem Saxoniae et Philippum landgravium Hassiae ex una et Henricum ducem Brunsvicensem parte ex altera intercedente nuntiat; aliquos libellos typis impressos ab eodem Saxoniae electore et landgravio Hassiae contra ducem Brunsvicensem scriptos mittit et rogat, ut eos proceribus amicis suis tradendos curet.

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 29-29v.

An Jobst Ludwigen den 29 Augusti.

Unsern gunstigen grus und genedigen willen zuvorn.

Edler, lieber, getrewer.

Wir zweyfelden gharnicht, yr habt numehr aus gemeynem gerucht, wes sich vor widerwill zwuschen den hochgebornen fursten, unsern freunth-

lichen, liben ohaimen und schweren etc., herrn Johann Fridrichen, churfursten zu Sachssenn etc. und herrn Philipsenn, landtgraven zu Hessenn an eynen, hertzogk Heinrichenn von Braunsswigk anders theils, ereuget, erfahren. Wir wollen euch aber nicht vorhalten, das itzbemelthe chur-und fursten Sachssenn und Hessenn ire nodtturft, warumb sie krigsrustung wider gedachten hertzogen zu Braunsswig ins felt zu schiicken verursacht, yhn truck verfassen, auch ausgehen lassen und uns etliche exemplaria mit angehefter freuntlicher bith, die unsern herrn und freunden ausszuteylen zugefertigt. Dieweyl wir aber solche nicht fuglicher weder durch euch zu vorteylen wissen, so thun wir euch^{a)} dieselben ubersenden, genediglichen begerende, ir wollet unbeschwert sein und solche unsern herrn und freunden, wo es euch am bequemsten sein deucht, ubantworten und zufertigen. Domit yr aber solchen truck auch zu lesen, thun wir euch hiemit ein ubries exemplar von denselben zufertigen, des yr fur euch zu behalten, dann euch vil genedigs willens zu erzaigen seint wir mit gnaden gewogen. Datum Konigspergk, ut supra mense et anno etc.

Commissio Principis
ex relatione Cancellarii.
Alb. Hack.

a) sequitur expunctum: zu verteylen wissen.

N. 2140.

E Regio Monte, 3.IX.1542.

Albertus dux in Prussia

*Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,
Bartholomaeum Jericke, civem Gedanensem, negotium quoddam « propter
expensas cuiusdam causae de iure agitatae instante parte adversa »
habentem, commendat et rogat, ut ei in eiusmodi negotio auxilium
praestet.*

(Latine)

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 206-207.

N. 2141.

E Regio Monte, 3.IX.1542.

Albertus dux in Prussia

*statibus et ordinibus Magni Ducatus Lithuaniae
de novo insuetoque teloneo, a tenentario in Plotele contra contractum
inter Magnum Ducatum et Ducatum Prussiae utrinque initum insti-
tuto.*

(Latine)

(Adsunt 2 conc., Latinum et Germanicum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 208-210.

N. 2142.

E Regio Monte, 3.IX.1542.

*Albertus dux in Prussia
Stanislao Hosio, canonico Cracoviensi,
causam Bartholomaei Jericke, civis Gedanensis, commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 210-211.

N. 2143.

E Regio Monte, 25.IX.1542.

*Albertus dux in Prussia
episcopo Vladislaviensi [Lucae a Górká]
reditum in terras suas ei gratulatur et rogat, ut Ioanni a Werden, burg-
gravio et primario consuli Gedanensi, cui quaedam cum eo commu-
nicanda commisit, plenam fidem adhibeat.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 211-212.

N. 2144.

E Regio Monte, 25.IX.1542.

*Albertus dux in Prussia
archiepiscopo Gnesnensi [Petro Gamrat]
in causa Michaelis Kierski, ab eo sibi commendata, respondet se iudici
suo Hohensteinensi (in Olsztynek) scripsisse et ab illo postulasse,
ut eiusdem Kierski petitioni acquiesceret; negotium regundorum fi-
nium commendat.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVI, N. 751.

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 213-214.

N. 2145.

E Regio Monte, 28.IX.1542.

*Albertus dux in Prussia
Bonae reginae Poloniae
litteras eius, pro Anna, Nicolai Blumenau, civis Cnipaviensis («urbis
meae Regii Montis Kneiphoff»), relicta vidua, intercessorias, se ac-
cepisse nuntiat et dictae viduae summam quandam pecuniae ex fun-
datione, a Laurentio Blumenau, iuris utriusque doctore et Theuto-
nici Ordinis membro, olim instituta, persolvisse.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 214-216.

N. 2146.

E Regio Monte, 8.X.1542.

*Albertus dux in Prussia
doctori Abrahamo [Culvensi]
in Lithuaniam projecto mandat, ut lectis his litteris amplius nusquam
procedat, sed confestim sine ulla mora ad se redeat.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Iam ed. Th. Wotschke, *Abraham Culvensis*, loc. cit., *Beilage V.*
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 216-217.

N. 2147.

E Regio Monte, 18.X.1542.

*Albertus dux in Prussia
Simoni Mickowicz (Miczkowitz)
de subdito suo, Theodorico (Dietrico) Weichsel, conquerenti, quasi ei
virum quendam cum uxore et duobus pueris ceperit et nunc pro
mancipiis teneat, respondet subditum suum istos homines plena
eorum voluntate et libertate in servitatem suam suscepisse.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, cum dato: 17.X.1542, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 217-218.

N. 2148.

E Regio Monte, 18.X.1542.

*Albertus dux in Prussia
regi Galliae [Francisco I]
pro Bernardo Bothner, Caspare Poel, Luca Stoltzenbergk, Ioanne a Pöl-
ken, civibus ac subditis suis, quibus — tale quippiam non metuenti-
bus —, a militibus regis Galliae navis cum omnibus mercibus erepta
est, ipsi vero partim spoliati et vulnerati, partim capti et occisi sunt,
intercedit et rogat, ut capti dimittantur, superstitionibus navis resti-
tuatur, damna resarciantur et iustitia administretur.*

(Annexum: *Supplicatio eorundem ducis subditorum*).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 218-223.

N. 2149.

E Regio Monte, 19.X.1542.

*Albertus dux in Prussia
proconsuli et consulibus Caunensibus
pro Martino Wintmoller, Veteris Civitatis Regiomontanae cive, intercedit,
ut vigore contractuum inter regem et ducem initorum et latae a
iudicio sententiae debitas sibi 4 lastas salis a Bertoldo Bischoff,
cive Caunensi, recuperare possit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 145-146.

Albertus dux in Prussia

regi Galliae [Francisco I]

12 falcones dono mittit; de dissidiis inter principes christianos intercedentibus dolet et Deum precatur, ut — periculo Turcico augescente — concordiam et unionem christianis largiri dignetur.

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 223-225.

Regi Franciae mittit XII falcones. XXII Octobris.

Serenissime Rex etc.

Regiam Vestram Celsitudinem XII falcones, quos praeterito XLI anno eidem miseramus, accepisse eosdemque (uti ex literis intelleximus) Regiae Vestrae Celsitudini fuisse gratos, libenter accepimus, Regiae namque Vestrae Celsitudini non tantum in hoc, sed re multo maiori, quoad recte poterimus, gratificari propensi sumus. Porro Regiae Vestrae Celsitudini pro more^{a)} et aucupii nostri commoditate iterum iam XII falcones mittimus, petentes eos more solito boni consulere ac non tam donum, quod exiguum vel potius nullum est, sed potius animum dantis respicere velit. Nihil nunc aequè malleus, quam ut isti falcones Regiae Vestrae Celsitudini multum taedii devorarent, tempus falleret maximamque recreationem adferrent.

Dissidia turbulentissimis periculosissimisque his temporibus inter maxima ubique christianorum capita existentia nos, ut hominem christianum, non parum commovent animumque perturbant, considerantes, quae inde damna communi Christianitati accidere et evenire possent et quod satius esset multo, ad propagandam gloriam Dei defendendumque miserum christianorum coetum omnem vim viresque omnes, relictis rebus aliis omnibus, in unicum crudelissimum tyrannum, Turcam, miseris christicolis multum negotii indesinenter facessentem, dirigere. Deum igitur devoto animo praecamur, eiusmodi summa capita convertere atque concordare dignetur. Posteaquam vero durantibus his dissidiis (nescimus quo fato, singulari certe infortunio) nostris quibusdam fidelibus subditis a Regiae Vestrae Celsitudinis militibus in mari navis quaedam una cum bonis et hominibus sine omni causa et iusta et^{z)} praemonitione erepta sit (sicuti ex aliis literis clarius et copiosius cognoscet), Regia vero Vestra Celsitudo nobis gratificari et, si quid esset in suo Regno, quod placeret, se id nobis missurum regie polliceatur, magis nunc, quod petamus, nihil habemus, quam ut Regia Vestra Celsitudo miserorum nostrorum subditorum misereri ipsisque navem, una cum bonis et hominibus ereptam, iuxta damni illati refectionem restitui curare dignetur. Pluribus quidem peteremus, nisi istud a Regia Vestra Celsitudine, aequitatis studiosa regiaeque clementiae plena, facile nos impetraturos speraremus. Quo summo praeclarissimo planeque regio beneficio Regia Vestra Celsitudo laudabilius facere haud poterit quicquam, daturi operam, ut erga Regiam Vestram Celsitudinem iuxta subditorum nostrorum prompta servitia in omnibus licitis demereri queamus. Christus Regiam Vestram Celsitudinem prosperam eiusdemque Regnum pacificum conservare annuat. Datae e Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.

Christophorus Sangner.

a) *sequitur expunctum*: solito boni consulere z) *sic in ms.*
ac non

N. 2151.

E Regio Monte, 22.X.1542.

*Albertus dux in Prussia
regi Angliae [Henrico VIII]
duodecim falcones, sicut quotannis facere solet, dono mittit.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 225-227.*

N. 2152.

E Regio Monte, 22.X.1542.

*Albertus dux in Prussia
Annae Montmorency, Galliae comestabili,
octo falcones dono mittit.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 227-228.*

N. 2153.

E Regio Monte, 22.X.1542.

*Albertus dux in Prussia
domino a Fandum
sex falcones dono mittit.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 52, f. 229.*

N. 2154.

E Regio Monte, 25.X.1542.

*Albertus dux in Prussia
Erasmu Eustachio, canonico Vilmensi et teloneatori Caunensi,
pro subdito suo Hennicken, cive Cleipodiensi (Mummelensi), intercedit et
rogat, ut ei pecora iniuste arrestata restituantur.
(Latine)
(Adsunt 2 conc., Latinum cum dato: 25.X. et Germanicum cum dato:
26.X.1542, HBA, B, K. 1163).
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 230-231.*

N. 2155.

E Regio Monte, 27.X.1542.

*Albertus dux in Prussia
Alberto Gasztołd, palatino Trocensi,
pro Stanislao Vilcomiriensi, doctoris Abrahami Culvensis servitore, pro-
per negotia quaedam difficilia in Lithuaniam misso, intercedit et
rogat, ut illi in talibus negotiis bene expediendis auxilio esse velit.
(Latine)
(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).
Iam ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, loc. cit., Beilage VI.
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 231-232.*

*Albertus dux in Prussia
palatino Plocensi [Felici Srzeński]
puerum eius, regias litteras ferentem, se longius retinere noluisse nuntiat, cum ad alios quoque litteras regias perferre deberet.*

(Latine)

(Adest conc. Latinum, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 232-233.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo I regi Poloniae
ad quattuor epistolas regis respondet: de causis, ob quas subditus palatini Plocensis in carcerem coniectus est; de privilegiis suis in re iudicaria non violandis; de pratis iuxta villam Krotki; de die nuptiarum regis iunioris; de proscriptione; de discordia inter regem Daniae et Burgundios; de novis teloneis in Lithuania institutis etc.*

(*Schedula: de appellatione palatini Plocensis*).

Cfr. El. XXX, NN. 254, 255.

(*Adsunt 2 conc. Latina et 3 Germanica. HBA, B, K. 1163*).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 243-260.

Ad Regem Poloniae, ultimo Octobris.

Scribit causam, quare subditum Palatini Plocensis¹⁾ Capitaneus in Neidenburg²⁾ in carcerem coniecit. Deinde scribit suis privilegiis contrarium, quod delinquentes ad capitaneos, sub quibus bona sua habent, remittere debeat. Petit, ut Palatinus Plocensis sententia in terrestri iudicio lata contentus sit. De pratis iuxta villam Krotki. Petit sibi nuptiarum diem significari. Agit gratias, quod causam proscriptionis diligenter egerit. Item de discordia Regis Daniae et Burgundiorum. De theloneis in Lithuania institutis. Excusat se, quod nova thelonea in suis terris non instituerit.

Serenissime Rex, Domine clementissime.

Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae quatuor literas, VII, VIII, XI et XIX diebus mensis Septembris praesentis anni Cracoviae datas, debita reverentia humiliter accepi tenoremque earundem intellexi. Quae omnia repetere supervacaneum puto. Quare iis omissis ad dictas literas tantum, quae necessaria videbuntur, humiliter respondebo. Quod vero tardius respondeo, in causa sunt alia quaedam, quae nobis subinde acciderunt negotia, praeterea quod quasdam prius res penitus cognoscere necesse habuerim, deditissime orans, Serenissima Maiestas Vestra istam moram boni clementerque consulere dignetur.

Porro, quae primo Serenissimae Maiestatis Vestrae literas propter Magnifici Domini Palatini Plocensis subditum, quem Capitaneus meus in Neidenburgk propter maximas et inevitabiles causas per tempus aliud in carcere tenuit, spectant, intelligo primum, quae dictus Dominus Palatinus Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae propter hanc rem indicavit (quae omnia praetereo et in sua dignitate relinquo), deinde, quae

Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae in hac causa sit sententia iustaque, iudicet. Ac quamvis Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae de hac causa antea nonnihil scripserim, omnes tamen circumstantias et quid alioqui in ea verissime accidit, plane non expressi. Cum etiam Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam ego Regem esse et sapientissimum et christianissimum sciam reque ipsa talem expertus sim, qui inaudita parte altera uni fidem nullam adhibeat, Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae pro maiori et firmiori huius causae declaratione haec humiliter scire facio, quod dicti Domini Palatini subditus una cum aliis quibusdam tribus viris armata manu hinc inde in locis suspectis equitarit et subditi mei rusticum quendam nomine Bartusch Puss de Fredau (omissis iis, quae alioqui perpetravit) in campo patenti equo insidens fugarit celeterque insequutus sit, quod etiam alii multi homines (nam tempore messis accidit) viderunt, rusticum comprehendens interrogavit, num Cherubin Cosmaczewski apud nobilem Nicolaum Polinski, subditum meum, esset, quot et quales haberet equos et num curru veheretur. Ad haec in campo Grosschlaffkeffer dicto puerum quendam adortus interrogavit, cuius et num dominus ipsius domi, praeterea an Cherubin Cosmaczewski apud eum esset, addendo se audire, quod plerumque in parvo curru se vehi curaret etc. Quibus autem alioqui in locis per meum Ducatum versatus ac quomodo istam de se suspicionem praebuerit, quod non vectores salis, sed magis Cosmaczewski observarit, ipse Cosmaczewski (postulante Serenissima Maiestate Vestra Regia) suo tempore sine dubio abunde ostendet ac bonae cum fidei hominibus, etiam nobilibus, probabit. Quandoquidem igitur re vera res sic sese habeat atque dicti Domini Palatini subditus eiusmodi, uti dictum est, in meo Ducatu frivole perpetrarit, nominatum Cosmaczewski hinc inde quaesierit, eum etiam armata manu insequutus, praeterea meos homines in publica via adortus sit (quae facere nequaquam debuisset), respectu quod publicam et communem sic pacem violare voluerit, meo sane iudicio Capitaneum meum in Neidenburgk, qui meo nomine et loco cuilibet iustitiam administrare et vias, ne quis in iis laedatur, observare tenetur, aliter non decuit, quam ad alterius partis petitionem talem exploratorem in carcerem conicere, quo sic quilibet absque ipsius ipsiusque sociorum impedimento istis terris et publicis viis libere et secure uti posset. Praeterea Serenissima Maiestas Vestra Regia clementer et facile coniciet, quo pacto tandem ferre et possim et debeam, si quando aliquis inter Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam laudatissimamque Coronam Poloniae discordias sancire moliretur, respectu quod Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae regiam clementiam laudatissimaeque Coronae favorem pluris quam quilibet alius faciam. Ex his causis dictis earundemque circumstantiis humiliter spero Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam dictum meum Capitaneum propter hoc non accusaturam, quod etiam ne faciat deditissime oro, sed magis in terrorem aliorum et ut publica pax conservetur, saepe dicti Domini Palatini subditum (quem ante hoc tempus postulante Serenissima Maiestate Vestra Regia post fidem datam decentem ex carcere liberum dimitti mandavi) severe punire demandaturam. Serenissimae etiam Maiestati Vestrae Regiae, tanquam Regi et sapientissimo et iustissimo, iudicandum relinquo, num idem subditus ad observandum sal exoticum^{a)} (uti Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae nuntiatum est) vel aliquid aliud hinc inde missus et adornatus sit. Porro, quod Serenissima Maiestas Vestra Regia meis capitaneis edicere postulat, ut si quid Serenissimae Suae Regiae Maiestatis homines, quod

animadversione sit dignum, delinquent, eos ad capitaneos eiusdem deferant, qui cum omnibus, de quibus delatum fuerit, iustitiam administraturi sunt. In hoc Serenissima Maiestas Vestra Regia, pro meo tenui iudicio et sua summa innata regia sapientia, clementer facile perpendere potest, num hoc meis regaliis, superioritatibus, privilegiis, praeterea contractibus et infeudationi, in qua merum et mixtum imperium mihi per totum meum Ducatum traditum est, conveniat et num me contra ista omnia facere deceat, ne dicam quod hoc pacto, nempe cum quilibet suo arbitrato male faciens non comprehendi et puniri, sed in alio territorio aut iudicio insequi et conveniri deberet, pax, tranquillitas iustitiaeque conservari non possent. Quapropter humillime firmissimeque spero Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam, quae omne malum libentius puniri quam impunitum committi cupit, meis istis in hac causa pro declaratione verissimis indicatis fidem adhibituram atque merum et mixtum illud imperium, quod (cum me inclitae Coronae Poloniae incorporarem) habui, in meo Ducatu molestari non concessuram, sed potius clementer id defensuram mihique salvum et integrum conservaturam esse.

Quandoquidem Serenissima Maiestas Vestra Regia in alteris literis causae iuridicae, seu quae de iure pendet, propter bona Samino et Grunewalt, in meo Ducatu Pruthenico posita, mentionem faciat, recordans etiam eorum, quae ad Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam propterea supplicata sunt, regia adiuncta admonitione, ut unicuique ius suum tribuam, ad ea Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam humiliter celare nolo, quod praedictus Dominus Palatinus Plocensis cum suis adversariis istam causam coram terrestri Holstinensi iudicio processu iuridico egerit, ubi pars eius adversa dictam causam Palatini propriis literis, sigillo, confessione atque testimoniis ab honestis et bonae fidei hominibus, etiam nobilibus et Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae subditis, prolatis (quae omnia observare honestorum iudicum officium est) ita probavit et confirmavit, quod eam per sententiam de iure istarum terrarum usitate latam obtinuerit, Dominus Palatinus vero ab eadem causa, utpote qui bona a Kerstken emit, ceciderit. Ac quamvis ad me, tanquam in hac causa ordinarium et decentem iudicem, appellarit, perillustratis tamen diligenterque diu perquisitis eiusdem causae actis et acticatis aliud in ea statuere et decernere non potui, quam ut ad terrestre iudicium remitterem, confirmando ipsorum iuri aequitatisque consonam latam sententiam mandandoque, ut, quod iustum et aequum fuerit, in eadem causa amplius concedant et statuam, ubi ea tandem ipsi iusticia administrata est, de qua conqueri merito non potest. Sum autem alioqui et adhuc non tantum ad Domini Palatini, sed etiam cuiuslibet alterius iustam petitionem et instantiam, omnia, quae modo non contra mea summa regalia, privilegia, libertates istiusque mei Ducatus ac istarum terrarum laudabilem usum et consuetudinem vergunt ac existunt, clementer et benigne concedere proclivus; de qua animi promptitudine et Dominum Palatinum et quemlibet alium contentum esse et fore credo, firmiter humiliterque sperans Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam, prout regie saepe promisit, in iis omnibus dignitatibus et alioqui clementer me conservaturam.

Quod prata autem iuxta villam Crocki sita et quod Capitaneus meus in Rangnit ea falcastrari vel demeti curarit, palam atque notum est omnibus, quod praedecessores mei atque ego semper (uti adhuc) ea prata quiete possederim iisque sine omni impedimento usi simus.

Taceam interim, quod dicta prata immediate ad meum Ducatum Prussiae pertineant neque ulla de iis unquam fuit contentio (prout Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam antea saepius diligenter edocui), nisi quod iste iam Capitaneus in Gorgenburgk cum meo Capitaneo in Rangnith propter pacem et bonam viciniam iam dudum de istis pratis convenerit et transsegerit^{a)} hoc pacto, quandoquidem granities Lithuanicae adhuc contenciosae et ancipites existerent, quod dicta prata ex aequo demeti fructusque eorundem in partem utramque dividi. Sin etiam pars una fructus omnes accipere vellet, aestimatione iusta facta, tantam pecuniam dare et in sequestrum interim ponere deberet, donec dubiae istae granities decidantur, ubi tunc ista prata se parti, ad quam pertinent, ultro offerent. Dictus tamen Capitaneus in Jorgenburgk, prout saepius conquestus sum, clanculum nonnumquam nocte sub igne ardenti istos fructus solus auferri curavit, quod tandem amplius pati mihi grave et molestum est, humillime sperans Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam, quod pro meis debitis Coronae Poloniae feudum tuear ac id per meos tueri curem, non inique, sed potius boni clementerque interpretaturam ac me isto pacto defensuram, ne dicto feudo quid detrahaatur. Concedo etiam, prout Serenissima Maiestas Vestra Regia scribit, et non possum non vel ipsa experientia id testante fateri, quod neglecta scintilla ingens saepe incendium excitare soleat. Ego autem nequaquam vellem immo misericordia poenitentiaque maxima commoverer et ducerer, si eiusmodi vel talis aliqua scintilla in minimo^{b)} vel etiam maximo, me autore, excitari deberet. Nam ego melioris aut magis bonae vicinitatis causa (ut sic dicam) propter granicierum negotium apud Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam, praeclarissimos Poloniae ordines et status (utpote ad quos haec res etiam pertineat) humiliter amiceque saepius institi atque decerni et finiri eas pecii, verum nihil fructiferi hactenus sequutum est, prorsus nihil dubitans, quin Serenissima Maiestas Vestra Regia (quo eiusmodi scintilla extinguitur) etiam eiusdem sit animi et simili^{c)} modo affecta. Ad praecavendum autem tale quippiam, praeterea malam viciniam, inimicitias atque omnis generis mala, remedium commodius, meo iudicio, inveniri^{d)} haud poterit, quam dictas granities primo quoquo tempore finiri et quanto cicius eo melius. Quapropter adhuc humillime deditissimeque etiam atque etiam oro, Serenissima Maiestas Vestra Regia (prout eadem regie et clementer inclitaque Poloniae Corona amice ac benigne pollicita est) tantum curare dignetur, ut contenciosae et dubiae illae granities Lithuanicae secundum contractus, literas et sigilla quam primum inspiciantur, obambulentur tandemque finiantur, quo sic quaelibet pars suum quod est quiete possidere atque bona vicinitas ubique firmiter conservari posset, ubi tunc clarissime patebit, quinam vim inferat vel paciatur. Neque parum me commovet in ea me haberi suspitione, quasi Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae charissimae consorti, Serenissimae Reginae etc., Dominae meae clementissimae, de re non maximi momenti negotium exhibere vellem. Spero etenim Serenissimam eius Maiestatem Reginalem me omni semper debito honore observantiaque prosequutum et in posterum prosequutum neque in hoc me ulli cessurum, confidens econtra Serenissimam ipsius Maiestatem Reginalem in omnibus, quae mea sunt et ad me pertinent, regie et clementer exhibituram etc. Quo autem Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae rationes meae tantae curae sint, ut eis omnibus modis prospectum velit, sumptibus etiam non

parentes²⁾, eidem gratias humillime ago maximas, summam semper daturus operam, ut id erga Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam totamque regiam domum pro meis viribus bonorum vitaeque periculo, tanquam consanguineus bonus Princepsque vasallus, gratus demereri queam, prorsus nihil addubitans Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam a sua innata bonitate et clementia non destitutam, sed potius in iisdem virtutibus processuram et in aeternum perseveraturam.

Quandoquidem autem ultimo Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae gratum fuerit, quod ad Serenissimi sui filii, Domini mei clementissimi, regias nuptias venire promisi, Serenissima Maiestas Vestra Regia certo sciat sibi que persuadeat, oro, me nihil unquam intermissurum, quod ad gratificandum et inserviendum eidem totaeque eiusdem regiae domui pertineat, diem igitur nuptiarum significari mihi expecto. Faxit Deus Optimus Maximus, ut foelicissime procedant et in honorem nominis sui sempiterni, omnium Serenissimarum Maiestatum Regiarum salutem earundemque subditorum commodum atque incrementum finiantur et vergant.

Serenissimae etiam Maiestati Vestrae Regiae propter clementem diligentemque in causa proscriptionis adhibitam diligentiam et propter eam, quam in posterum adhibere clementer pollicetur, gratias humiliter ago maximas, postulante etiam maxime Serenissima Maiestate Vestra Regia inter Serenissimum Danorum Regem³⁾ partemque eius adversam propter bonum pacis, quantum potui, feci. Polliceor etiam me posthac, quicquid potero, facturum. Quandoquidem vero Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam, tanquam in Christianitate Regem seniore, pacis concordiaeque studiosissimum sciam, res autem inter Serenissimum Danorum Regem et domum Burgundiae magis ad bellum quam pacem respiciant, per quod hae Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae terrae gravari possent, num salutiferum consultumque videatur, si pro occasione sua hoc susciperet onus, intercederet et in id laboraret, ut aut eos concordem reddere, aut saltem inter illos inducias longiores sancire et facere posset, per quod, meo iudicio, non tantum Serenissimus Rex Daniae et domus Burgundiae ad concordiam redigi, sed et utraque pars Prussiae sub ea comprehendi posset. Haec tamen omnia Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae beneplacito regioque iudicio relinquo.

Quod vero Serenissima Maiestas Vestra Regia propter nova thelonea scribat et indicet sibi absenti a Magno Ducatu non decere in his quicquam statuere aut decernere, sperassem, quandoquidem aeterni, coniurati, literis sigillisque confirmati contractus clarissime demonstrant, quid cum his et propter eiusmodi nova thelonea statui fierique debeat, Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam (etiam si a Magno Ducatu absens sit) ex regia clementia contractus non violari et inusitata⁴⁾, imo contra contractus erecta et instituta thelonea abrogari demandaturam, praesertim cum eiusmodi thelonea⁵⁾ ex parte aliqua nominarim et Serenissimae Maiestati Vestrae Regiae indicarim.

Ac quandoquidem Serenissima Maiestas Vestra Regia addat sibi nunciatum esse etiam a me multis in locis nova thelonea constitui, sciat eadem me prorsus haec latere ac quod istorum nihil quicquam a me factum recordari possim, imo pro vero affirmare audeam neminem unquam probare posse me plus, quam quod praedecessores mei acceperunt, accepisse et postulasse. Hoc autem scio et bene succurrit, quod propter humilem enixamque petitionem ⁶⁾utriusque partis subditorum

ad structuram quandam^{h)} per aquam in Kukernese perficiendam pecuniam quandam conscripserim, vel dare constituerim eandemque deinde structuram magnis sumptibus conservarim et eam denique (cum Serenissima Maiestas Vestra Regia postulabat meque contractuum admonebat) prorsus destruxerim, non respiciendo, quibus de causis, conditionibus, sumptibus et expensis perfecta esset. Quapropter cum meis theloneis ad erigendum nova in Lithuania causam nullam unquam praebuerim, humiliter oro, Serenissima Maiestas Vestra Regia haec et eiusmodi indicantibus nullam fidem adhibere velit, priusquam ubi et quomodo nova a me thelonea erecta sint, probaverint meumque responsum Serenissima Maiestas Vestra Regia prius acceperit, ubi tunc res ipsa meo iudicio longe aliter se habere apparebit, prorsus nihil dubitans Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam ex regia virtute et clementia propter supradictas causas adhuc curaturam (quod ut faciat, humillime oro), ne contractus violentur, vel aliquid contra ipsos fiat, sed ut firmiter in omnibus et ab omnibus serventur inusitataque thelonea aboliantur. Quae omnia erga Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam, ut Dominum meum clementissimum, omnibus fortunis animique et corporis bonis humillime semper demereri conabor. Christus Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam prosperrimam, eiusdem Regnum stabilissimum omnique ex parte foelicissimum quam diutissime conservare dignetur. Datae e Regio Monte, ut supra.

Cedula.

De appellatione Palatini Plocensis.

Serenissime Rex, Domino clementissime.

His aequae literis paratis a Serenissimae Maiestatis Vestrae Regiae subditis, Cherubino Cosmaczewsky, Joanne Kownotzki et Severino Tham, supplicatio quaedam mihi oblata est. In qua inter reliqua indicant se a Serenissima Maiestate Vestra Regia feria quinta post Martini Cracoviae, vel ubi tunc temporis regia curia fuerit, ordinare et peremptorie comparandi et ad Magnifici Palatini Plocensis praetensam interpositam appellationem necnon Andreae Kersken actionem propter bona Samino et Grunewalt, in meo Ducatu sita, respondendi citatos, prout citationes laciis in se continent, humiliter petentes, quandoquidem ista bona de iure et iusticia coram Holstinensi iudicio et deinde per appellationem coram me obtinuerint, eos ab istis citationibus liberare vellem. Quamvis autem Serenissima Maiestas Vestra Regia erga subditos suosⁱ⁾ in causis iuridicis et alias gerere se sciat optime, me etiam contra haec loqui non deceat, Serenissimam tamen Maiestatem Vestram Regiam de hac causa, quomodo sese habeat, edocebo, sperans eandem ea, quae mihi debentur, detrahi non permissuram. Terrestre Holstinense iudicium post utriusque partis actionem et responsionem sufficientiaque et literarum et personarum prolata testimonia omnisque generis probationes Domino Palatino Serenissimaeque Maiestatis Vestrae Regiae subditis supra nominatis propter dicta bona omnia iusta et aequa concessit sententiamque, postquam utraque pars ad eam concluderat, denique tulit, a qua postea sententia Dominus Palatinus ad me appellavit. Cum vero eandem de iure et iusticia confirmarim confirmareque necesse habuerim (quemadmodum Serenissima Maiestas Vestra Regia ex literis meis intelligere dignabitur), praedictus tunc Dominus Palatinus non in parvam sum-

morum meorum regalium, privilegiorum atque istarum terrarum libertatum ignominiam appellationem quandam interposuit, quam dictum iudicium, propter nominata iam privilegia, consuetudines et usus nec acceptare, nec ipsi concedere voluit. Nam ego sicut et praedecessores mei ab eiusmodi gravaminibus semper liberi fuimus ac dictas libertates absque omni impedimento hactenus obtinuimus. Cum itaque res sic sese habeat atque ista appellatio ex dictis et sufficientibus causis concessa non sit, summis humillisque oro precibus, Serenissima Maiestas Vestra Regia Domino Palatino nequaquam concedere dignetur, ut in praeiudicium et insignem meorum privilegiorum et regalium, quae mecum inclitae Coronae Poloniae attuli, istarumque terrarum libertatum contumeliam, praetensam et audacem istam suam interpositam appellationem prosequi studeat aut pergat, imo potius me in meis terrarumque istarum libertatibus contra Dominum Palatinum et quemlibet alium iuxta frequentes regias suas pollicitationes (de quibus prorsus nihil dubito) defendat ac tueatur, Domino etiam Palatino demandet, cui miseri sui adversarii homines saepe dictam causam de iure et iusticia obtinuerint, ut eas amplius non turbet aut molestat. Nam cum eiusmodi, quod tamen de Serenissima Maiestate Vestra Regia nequaquam spero, institueretur, solemniter, modo de iure quo possum et fieri debeat optimo, protestor et protestatum volo, quod in istud non tantum nequaquam consenserim, aut aliquid in meorum privilegiorum praeiudicium concesserim, sed graviter, prout decet, istis conatibus reluctatus atque contra istos loquuntus sim, sperans Serenissimam Maiestatem Vestram, uti Regem sapientissimum et iustissimum, me in meis bono titulo consequitis hactenusque obtentis libertatibus, quas a meis praedecessoribus accepi Coronaeque Poloniae mecum attuli, molestari non^{d)} concessuram.

Quod Kerstki eiusmodi citationem impetravit, quasi vi ex suis bonis pulsus sit, non parum me gravat et commovet, res autem sic se habet. Posteaquam Dominus Palatinus bona a Kertki^{e)} emerit ac Capitaneus secundum ordinem iuris post latam sententiam Cherubinum Cosmaczeiski^{f)} suosque litis consortes in dicta bona collocarit, quo sic ea, quae de^{g)} iure et iusticia ipsis adiudicata sunt, per viam executionis, uti decet, consequerentur, Dominus Palatinus nihil conqueri nec miseros homines accusare potest. Quapropter humillime spero Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam me non tam parvi pensuram atque propter eiusmodi indicata se ita commoveri^{h)} permissuram, quo per hoc summis meis privilegiis et dignitatibus quid detrahatur, sed potius clementer curaturam, ut mea regalia et libertates serventur ac tueantur. Quae erga Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam ego omnibus modis summo studio humillime demereri studebo.

Commissio Principis propria.
Christophorus Sangner.

- a) *verbum correctum.*
 b) *in ms. : minime*
 c) *verbum correctum.*
 d) *verbum correctum.*
 e) *verbum correctum.*
 f) *sequitur expunctum: abogari*
 g)-h) *in ms bis scriptum.*

- i) *sequitur expunctum: ins*
 j) *sequitur expunctum: cess*
 k) *verbum correctum ex: commovere*
 z) *sic in ms.*
 1) *Felix Srzeński.*
 2) *Petrus Kobersehe.*
 3) *Christianus III.*

Albertus dux in Prussia

Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario, de palatino Plocensi conqueritur, qui nundinas Soldavienses subditis suis contra veterem consuetudinem prohibuit; negotium regundorum finium apud regem promovendum commendat.

(3 schedulae: 1.de non admittenda appellatione; 2.de controversia inter domum Burgundianam et regem Daniae; 3.de salvo conductu Cherubino Kosmaczewski concedendo).

Cfr. El. XXXVI, NN. 750, 753.

(Adsunt 4 conc. Latina et 3 Germanica, HBA, B, K. 1163).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 233-242.

Ad Episcopum Plocensem, Vicecancellarium, ultimo Octobris.

Conqueritur de Palatino Plocensi¹⁾, quod nundinas in Soldau contra veterem consuetudinem prohibere conetur. Petit, ut apud Regiam Maiestatem instet, quo controversia de graniciebus Lithuanicis transigatur.

Syncerum fraternique animi affectum ac quicquid grati praestare possumus.

Reverende in Christo Pater, Domine, Amice et Frater nobis charissime.

Binas a Reverenda Paternitate Vestra literas haud ita longo temporis intervallo accepimus, quarum tenorem legendo intelleximus. Quod autem tardius illis respondemus, magna et ardua nonnulla nos avocantia negotia remorata sunt, quare Reverenda Paternitas Vestra, amice et fraterno studio rogamus, boni consulendo excusatos nos habere velit.

Quantum igitur ad priores Reverendae Paternitatis Vestrae literas spectat, quibus nostras de Magnifico Domino Palatino Plocensi quaerimonias sibi plurimum displicere declarat cuique concordiae sacra iura multo gratiora esse quam odiosae discordiae disceptationes enatae, commendamus vehementer huiusmodi Reverendae Paternitatis Vestrae prudentissima animi sensa, propensum erga laudabilem Coronam animum haud obscure^{a)} testantia, expendendo, quaenam bona effulgeant, quantum et utilitatis et commoditatis emergat, ubi in aliquo Regno, Principatu ac provincia ordinum proceres et consiliarii primores concordia, pace et unanimi consensu cohaerent. E diverso vero quantum iacturae et damni ex discordia erumpet, aequae patet. Speramus autem facili opera tam a Reverenda Paternitate Vestra, quam ab omnibus laudatae Coronae Poloniae ordinibus, nos testimonium consecuturos, quod nec infimo quidem citra iactantiam asserendo occasionem hostilitatis, inimicitiae vel discordiae dederimus unquam. Quin et ingenue magna animi gratitudine fatemur, tum a Sacra Regiae Maiestate, tum a caeteris laudatissimis Coronae ordinibus, gratiam, amicitiam et favorem hactenus vicissim nos consecutos fuisse minime vulgarem, exceptis his, quae nobis ac terris nostris in praeiudicium publicorum foederum, privilegiorum nostrorum elevationem, sanctae pacis tranquillitatisque^{b)} turbationem et aptae communium negotiorum vicissitudinis remorationem, per praedictum Dominum Plocensem Palatinum solum ac alias neminem ex Corona citra aequitatem nobis illata fuere. Multum Reverendae Paternitati Vestrae nos debere fatemur, amica ac fraterna gratitudine agnoscentes, quod

ipsa coram Sacra Regia Maiestate, Domino nostro clementissimo et avunculo summo amore semper observando, eundem Dominum Palatinum compellere ac nomine nostro quaerimonias ei obiicere dignata fuerit. Excusationes eius et ad obiecta dilutiones, quas longis verborum ambagibus proposuit, suo in statu relinquimus. Nolumus autem Reverendam Paternitatem Vestram pro ulteriori informatione vicissim celare nostrum animum, instituta et conatus universos, certe non minus quam suos, pro debito nostrae obligationis huc pendere, quo Regiae Maiestatis cum laude semper memoratae inclitaeque Coronae Poloniae damna et dispendia, quantum salvis nostris privilegiis, immunitatibus et iuribus fieri queat, praecaveantur. Nec vellemus Suae Maiestatis tributis, teloniis aut vectigalibus quicquam derogare vel defringere unquam, sed propensiori animo nos eorum defensionem accommodare faveremusque irrogationi vectigalium copiosiori, imo uberrimae, si tantum citra nostrorum privilegiorum et iurium terrae nostrae praeiudicium institueretur. Quare nos apud veteres et probatissimi testimonii viros, qui multis annis nundinarum commertia in oppidulo nostro Soldau exercuerunt, diligenti inquisitione habita pervestigavimus, qui bona fide, antiquissima hactenus consuetudine, observatum testantur singulis annis sabbato ante Palmarum nundinas illic auspicias fuisse, quae in quartum diem Martis, scilicet citra cuiusquam contradictionem, nonnumquam continuabantur; post quas et nundinas in Mlava quoque celebratas asserunt. Quod si Sacra Regia Maiestas non gravaretur veritatem huius rei per non suspectas personas inquirere, eadem et non alia regiae cognitioni se offerrent, perdisceretque neminem unquam huiusmodi oppiduli nostri privilegiis nundinalibus, vetusta consuetudine acquisitis, se opposuisse, praeter unicum Dominum Plocensem Palatinum, qui paucos ante annos contra aequitatem eas infringere praesumpsit. Cumque his nundinis, annue in Soldau frequentatis, nihil odiosum contra Regiam Maiestatem admittitur, nec Suae Maiestatis vectigalibus consuetis quicquam detrahatur, amica nostra petitio est, Reverenda Paternitas Vestra intercessorio id officio promovere velit, ne antiquae huic nostrae consuetudini et iuri acquisito vis aliqua et iniuria inferatur, intercepti eos, qui mercibus veteres illas nundinas frequentare voluerint.

In proximis praeterea literis, quibus testatur, quod Reverenda Paternitas Vestra negotia nostra, iuxta vota sua, executioni mandare non potuerit, de qua re licet dolemus, nihilo secius tamen propensum in nos animum amplectendo magnam gratiam habemus ob adhibitum amici officii studium. Multivarias deinde querelas, ex Magno Lithuaniae Ducatu Sacrae Regiae Maiestati nostris de subditis delatas, attingendo, confidimus animo indubitato, quin et Reverenda Paternitas Vestra hoc persuasissimum habeat, quod si querimoniae illae, quantumcumque graves, iuris ordine examinarentur^{c)}, apertius constaret, utra pars deliquisset^{d)} et quis praeterea de altero aequius quereretur. Si denique et gravamina huiusmodi nominatim nobis ac explicatius exponerentur, remedia sane oportuna adhibere minime gravemur, ne ulla cuiquam occasio iuste conquerendi relinqueretur, aut talem Sacrae Regiae Maiestati informationem super querimonias dare, qualem status causarum et aequitatis ratio postulare videretur. Nos vero, nostrorum iniurias a perisque ex Magno Ducatu illis iniquissime illatas, Sacrae Regiae Maiestati, Domino nostro clementissimo, nominatim exactissime exposuimus, parum tamen aut nihil fere executionis impetravimus. Quare iterum ac instantius Reverendam Paternitatem Vestram precibus amicis studiosis-

sime oneramus, ea, quum ex primis et praecipuis laudatissimae Coronae membris haud postremum sit, inclitae Coronae feudum hoc cum suis privilegiis et iuribus merito indemnem conservare studeat, dignetur et deinceps, quemadmodum et nuper praesente nostro nuntio in aula Regiae Maiestatis fecit, nostrorum negotiorum rationem habere et optima quaeque curare semper, ea nimirum, quae mediante privilegiorum et immunitatum iura nobis debentur, amice defendendo, auxilio praeterea, ope et consilio iuvare, quo diuturna limitum Lithuanicorum dirimendorum controversia, apertum iuxta literarum tenorem, cum effectu semel instituatur, absolvatur ac simul querimoniae universae, inter Magnum Ducatum Lithuaniae et nostrum Borussiae Ducatum olim obortae, tam apud Dominorum et praesidentium, quam inquilinorum utriusque Ducatus controversarum causarum status decernatur. Quod et amicis et fraternis semper officiis vicissim compensare studebimus alacrius, simul gratiam habentes de novis ad nos praescriptis rebus. Quae nobis grata fuere et scitu digna, haec Reverendae Paternitati Vestrae, quam Christo, Servatori nostro unico, his commendatam esse cupimus, ad binas literas respondendo latere noluimus. Datae et Regio Monte, ut supra.

a) correctum ex: obscurum
b) correctum ex: tranquillitatieque

c)-d) in margine pro expuncto: deliquisset
1) Felix Srzeński.

Cedula ad Dominum Matzieski, Vicecancellarium.

